

S U M M A
PROVERBIORUM
SANCTI AUGUSTINI.

S U M M A
PROVERBIORUM
S A N C T I A U G U S T I N I

SEANNA



Avsl. den 15 blad den 15 marts
under seden intil min salig all salig salig
Begyndt med vane vid.



José M. Martínez Grabó en Sevilla a 1832.

*Cathedram in celo habet qui corda docet.
Quibus unctio illa intus non loquitur indocti redeunt.
S. Aug. Tract. 4 in Ioann. cap. 2.*

EXCMO S:LL: ALLOS
EQUIT: VIRE: ARMO REGAL: ORDINIS AR
PROVERBIORUM
SANCTI AUGUSTINI
HYPPONENSIS EPISCOPI
ET ECCLESIAE DOCTORIS EXIMII
ELEMENTA COMPLECTENS.

OPERA ET STUDIO

P. MAG. FRATRIS JOSEPHI GOVEA
olim Prioris Provincialis Beticae Augustinianae
Provinciae, Regiae Hispalensis scientiarum Aca-
demiae Sacrae Theologiae Doctoris &c.

SUPERIORUM FACULTATE.

HISPALI:

EX TYPOGRAPHIA MARIANI CARO IN VICO GENUENSI.

IDIBUS AUGUSTI ANN. 1832.

S U M M A
P R O V E R B I O R U M
S A N C T I T U G E S U S T I N T
H E B R O N I N S I P H E C O P I
E T E C C L E S I A E D O C T O R I S E X M I
U N I V E R S A D I S C I P L I N A R I A M O R A M U M
E L E M E N T A C O M P L E C T I V A S

OPERA ET STUDIO

P. M. F. E. T. R. T. R. J. O. S. P. H. I. G. O. A. V. Y.
P. L. O. D. I. C. I. A. E. T. F. E. G. I. O. S. I. E. T. C. O. G. E.
P. L. O. D. I. C. I. A. E. T. F. E. G. I. O. S. I. E. T. C. O. G. E.
P. L. O. D. I. C. I. A. E. T. F. E. G. I. O. S. I. E. T. C. O. G. E.

SUPERIORUM FACULTATUM

HISPALI

E S T Y P O C R Y P H A I M A L I A N I C A R D I N A L I C O C E N T U R I I

IMPRESA MUSICALIS ANN. 1895

EXCMO. D. D. PETRO CEVALLOS,
EQUITI VERE MAXIMO REGALIS ORDINIS AB
AUREO VELLERE, SIC NUNCUPATI; INSIGNIS CA-
ROLI III ORDINIS HISPAN. ET SANCTI FERDI-
NANDI, ET SANCTI GENARI NEAPOL. MAGNA
CRUCE DECORATO: NEC NON SANCTI STEPHANI
HUNGARIAE, ET ETIAM LEONIS BELGIAE
A REGE FLANDRIAECRUCE MAGNA IN SIGNITO,
VIRIDI CORONA REGIS SAXONIAE MERITISSIME
ORNATO: INTIMIORIS HISPAN. CONSILII SENATORI,
EJUSDEMQUE CATHOLICI REGIS PRAECIPUO ADMINISTRO ECT. ECT. ECT.

EXCELLENTISSIME DOMINE

*Ut confusio hominum et rerum, et quaedam novandi
prurigo, quae longè latè que serpit, quibus optima morum
disciplina contabescit, subvertuntur regna, veritas
obtenebratur, virtutes et earum officia eccliali societate*

depelluntur, aliquantum coercentur; nullum opus ap-
tius, optatius perutiliusque (licet periculi et invidiae
plenum) quam humanarum actionum moralitatis prin-
cipia, sapientialia apophthegmata, et moralia prover-
bia in unum corpus reducere et revocare. Hanc nobi-
lissimam morum disciplinam ex scriptis Magn. Docto-
ris S. Augustini selectam, simplici quo quadam motho-
do exaratam, Ego, Excme. Domine, omnium scientia
et ingenii dexteritate novissimus, omnium primus exe-
qui conatus sum.

Tu vero Excme. Domine, qui difficilimis tempori-
bus formidabilem Hispaniae hostem corde impavido in-
faciem reluctari non destitisti, mirantibus omnibus inu-
sitatam animam, quae hominem tantum et innumrabi-
libus praestandi nocendique modis ingenti fama cele-
bratum, vel amicum non optaret vel non formidaret
inimicum, sicut de S. Episcopo Alypio Sanctus Augus-
tinus ajebat. (f) Tu inquam nulli secundus, qui ad-
versus saevissimum sine lege Tirannum Buonaparte ita
insigniter, fortiter ac singulari virtute contendisti ut

Pius Papa Septimus merito Te hoc lemmate proclama-
verit: Pontifice et Rege aequè defensis. (1) Cu-
jus honorificum lemma etiam Rex Ferdinandus Septi-
mus in stemmate gentilitio domus tuae sculpere et in-
scribere regio decreto sancivit. (2) Tu tandem, qui in
summo Regni fastigio collocatus, quidquid mundus
temporaliter arridet, et humilitate tenes et christiana
philosophia dimitis, recipere non dedigneris praefatum
opus ubertate doctrinae secundum, sapientia praecla-
rum, et Augustini auctoritate amplissimum, ut in tuam
fidem ac tutelam susceptum, et tuo nomine munitum,
nemini non gratum, jucundumque futurum videatur.
Merito ut sperare fas est, exutis doctrinis variis et pe-
regrinis, quae Ethices disciplinam potius commaculant
et obnubilant, quam elucidant, Lectores Sancti Augus-
tini magisterio et doctrina ducti, et Ecclesiae et Statui
utiles Doctores evadent.

(1) Diploma Pontificio del Pontífice Pio Séptimo dado en la Diócesis de Albano en 15 de Mayo de 1816.

(2) Tomo 3 de los Decretos del Rey D. Fernando 7.^o folio 382, donde se lee la Real Cédula comprensiva á esta gracia.

Mei erga te animi aeternum memoris testimonium
suscipte fronte benigna. Interea virtutibus praeditum
Deus Te servet incolumem, ut sis litterarum litterato-
rumque Patronus et fautor munificus, Hispaniae decus,
atque utriusque et Regiae et Pontificiae Majestatis
amantissimus et fidelissimus propugnator.
Excellentiae vestrae
Obsequentissimus Cliens.
F. Josephus Govea.

PROOEMIUM.

PROOEMIUM.

Ferè omnes, qui morum disciplinam tradiderunt, Aristotelis vestigia sectantes, vix à semitis et principiis tanti magistri et praceptoris deviari umquam ausi fuerunt. Invalui per plura soecula et etiam nunc hodie apud plures obtinet opinio moralem Aristotelis philosophiam, artem scilicet, bene vivendi, mores efformandi, bonis fruendi, sanam cum hominibus societatem ineundi, veramque beatitudinem adipiscendi, ita esse perfectissimam, ut nefas sit aliam sequi methodum, aut excogitare. De hoc maximè condolent insignes Doctores, et scientia conspicui et disciplinarum moralium peritissimi, quos inter Clarissimus Ludovicus Muratorius non parùm conqueritur ac lamentatur. Quodnam intersit discriminus inter moralem Gentilium et Christiano-

rum philosophiam norunt omnes, ac plus caeteris ille qui proprio edoctus experimento, aquam doctrinae ex utroque fonte manantem, babit et ingurgitavit. Hac ictus ratione atque permotus Sanctus Fulgentius, homines veram beatitudinem syncero cordis affectu avidè inhiantes, alliciebat et invitabat, dicens: *Augustinum legat omnis, qui salutem aeternam adipisci desiderat.*

¶ *Vultis ne, adolescentes praeclari, ad beatitudinis, verae que felicitatis portum pervenire? ¶ Scire optatis, quā via tendatur, et quo itinere perveniatur ad ipsum? Augustinum legite, libros ejus evolvite, ejus sapientia pracepta universam Ethicae doctrinam complectentia, et manu versate diurna et memoriae mandate. Veluti totidem coelestia tonitrua sunt, quae animos terrificant, et sicut fulgura quae mentium caliginem evanescunt, ut homines introspiciant viam virtutis ac beatitudinis, atque rectè et non frustra incedant per debium. Solus Christus aeternae ac coelestis Sapientiae Peritus Augustinum illustravit et in Ecclesia sua collocavit, ut qui fuerat quondam jactatus erroribus, ac tenebris involutus, esset nobis tandem et morum et disciplinarum moralium magister omnium praestantissimus. Aquam, ex isto fonte de puteorum divinorum*

fontibus derivatam, ehibite. Turbidam, tumentemque scientiam, quam Augustinus abjecit, respuite. In multitudine aquarum multarum bibunt, qui Deo non approximabunt, homines leves, inanitate scientiae inflati, vanitate tumidi, in carpendis consiliis mobiles et rebus novis maximè studentes: homines, qui humilitatem abjiciunt, qui naturae corruptionem non agnoscunt, qui verae virtutis et honestatis ideam obnubilant, quaerentes beatam vitam in regione mortis.

Licet probos viros, ac de patria optime meritos cives, scientia morum à Gentilibus philosophis tradita, aliquando efformaverit; itamen ita manca et imperfecta clarissimis, doctissimisque catholicis Doctoribus semper visa fuit, ut de illorum gymnasii numquam cives coelestis civitatis prodierunt, nec verae virtutis et honestatis sectatores. Quam ob rem optandum profectò vehementer est, ac impensè emitendum atque efficiendum, ut quotquot sunt in scholis catholicis, qui Ethices doctrinam profitentur, posthabitibus nominibus Officiorum à morali gentilium philosophia derivatis, virtutum nomina vel oblivioni data, vel raro usurpata, ne dicām, penitus obsoleta, substituerent, vel saltem frequentarent.

Nec ideo Officii nomen me nimia severitate censere, judicetis. Et Cicero et S. Ambrosius trac-

tatus de Officiis ediderunt, numquam satis à sa-
pientibus commendatos: at apud nostrates in hoc
tractatu S. Ambrosius latè praestantior antecellit;
namque sibi propositum fuit Ethices Christianae ex-
cellentiam p̄ae caeteris Paganorum disciplinis de-
mostrare.

In idipsum scopum collimant moralia et Sa-
pientialia proverbia, quae in schola et philosophia
Evangelica Augustinus didicit, docuit, opere adim-
plevit, et perquae veram beatitudinem scandere, cu-
ravit. Quodque est disciplinarum moralium finis,
omnium desideratissimus.



LIBER PRIMUS.

HOMO QUID?

Nec anima sola , nec solum corpus , sed simul utrumque est homo , totus ille ex utroque constat , ut homo sit . Serm. 43 de verb. Isaiae cap. 2.

Hominis descriptio. Ratione gaudentes , oratione pollentes , immortalibus animis , moribundis membris , levibus et anxiis mentibus , brutis et obnoxiis corporibus , similibus erroribus , pervicaci audacia , pertinaci spe , casso que labore , fortuna caduca , singillatim mortales , cuncti tamen universo genere perpetui , vicissim sufficienda prole mutabiles , volucri tempore , tarda

sapiēntia, cīta morte, quāerūla vita terrās incolunt.
lib. 19 de C. D. cap. 8. ex Apuleyo.

Omnis natura hominis dominatu animae et famulatu corporis temperata est conditione mirabili. In omnibus est species et compago corporis intanta membrorum concordia, ut inde ad caritatem obtinendam Apostolus similitudinem duceret. *lib. 1 de divers. quaest. ad Simplician.*

CAPUT PRIMUM.

*De humana mente, et de internis principiis Actuum
humanorum.*

ARTICULUS I.

De mente humana.

Nemo hominum scit, quid agatur in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est. *lib. 10 Conf. cap. 3.*

Evitando vivit anima, quae appetendo moritur.
lib. 13 Conf. cap. 21.

Numquam tanta et talia pro nobis divinitus age-rentur, si morte corporis etiam vita animae consumetur. *lib. 6 Conf. cap. 16.*

Est autem optimum in anima sapientia, et in corpore pessimum dolor. *lib. 1 Solilloq. cap. 11.*

Animus á se ipso fusus immensitate quadam diverberatur, et vera mendicitate conteritur, eum tum na-

tura sua cogit ubique unum quaerere , et multitudo inventire non sinit. *lib. 1 de Ord. cap. 1.*

Nihil esse sentio quod magis ex arce dejiciat animalum virilem , quam blandimenta feminea. *lib. 1 Solliloq. cap. 10.*

Noxium verò illud est genus artium , quo animi valetudo sauciatur , nosse dicere , quaedam est miseranda peritia ; at his artibus cum quasi crevisse anima videtur , quae neglecta defluxit in sensus , nihil aliud , quam tumuisse , vel etiam contabuisse judicanda est. *lib. de quantit. anim. cap. 33.*

Nulla enim re fruitur anima cum libertate , nisi qua fruitur cum securitate. *lib. 2 de lib. arb. cap. 14.*

Quia nemo superat leges omnipotentis Creatoris , non sinitur anima non reddere debitum. Aut enim reddit benè utendo quod accepit , aut reddit amittendo quo benè uti noluit. Itaque si non reddit faciendo justitiam , reddet patiendo miseriam. *lib. 3 de lib. arb. cap. 15.*

Sicut poena est animae illusio , sic premium animae veritas. *En. in Psalm. 37.*

Si recedat aer mundi istius , moritur corpus : si recedat Deus , moritur anima. Cum animam suscitat Deus ,

nisi adsit qui suscitavit , suscitata non vivit. *En. in Psalm. 70.*

Mors animae impietas est, et mors corporis corrup-
tibilitas. *lib. 4 de Trinit.*

Tantum valet mentis sanitas , ut etiam cum plan-
tu eligatur. *Serm. 175.*

Unde vivit caro tua? De anima tua. Unde vivit
anima tua? De Deo tuo. Unaquaeque harum secun-
dum vitam suam vivat. *Serm. 156.*

Quis dubitet multo esse melius habere bonam
mentem , quam memoriam quantum libet ingentem.
lib. 7 de C. D. cap. 3.

Timeat anima mortem suam , et non timeat mor-
tem corporis sui. *Serm. 67.*

Sunt duo tortores animae , non simul torquentes,
sed cruciatum alternantes , timor et dolor. Quando tibi
benè est , times ; quando malè est doles. *Serm. 124.*

Nihil enim tam facile est bonaे voluntati , quam
ipsa sibi. *Serm. 67.*

Non enim te desolatam putare debes , cum in in-
teriori homine habeas praesentem Christum in corde
tuo. *Epist. 92 ad Italic.*

Quaedam corruptela mentis est, fastidire quod dulce est. Sicut lucerna non a se ipsa accenditur, ita nec anima sibi praestat lucem, sed clamat ad Deum.

En. in Psalm. 109.

Tanto minus anima subditur Deo, quanto minus Deum in ipsis suis cogitationibus concipit; et tanto minus animae subditur caro, quanto magis adversus spiritum concupiscit. *lib. 19 de C. D. cap. 4.*

Caro benè obediens famula est animae, illa regit, haec regitur; illa imperat, ista famulatur. *En. in Psalm.*

145.

Vilis anima quaelibet peccatrix melior est quolibet magno et praestantissimo corpore. Non est melior meritis, sed natura. *En. in Psalm. 145.*

Inquilinus es, non possessor domus. Locata est enim tibi domus; domus ista locata est, non donata, etsi nolis, migrabis. *En. in Psalm. 148.*

Migra, paratus esto. Expello te de hospitio, dixit Dominus Deus tuus, sed dabo domum: inquelinus es in terra, eris possessor in coelo. *En. in Psalm. 148.*

leborum potuisse pessime Christum in corde

et in aliis

DE INTERNIS ACTUUM HUMANORUM

PRINCIPIIS.

De intellectu, ratione et veritate.

Occultus animae visus intellectus nominatur. En.

in Psalm. 32.

Deus autem hominis mentem rationalem atque intellectualem fecit, qua posset capere lumen suum.

Serm. 29 in Psalm. 118.

Ne in pestem alicujus erroris incurrat, opus habet divino magisterio, cui certus obtemperet. *lib. 19 de C. D. cap. 14.*

Deus per se ipsum quia lux est, illuminat pias mentes, ut ea quae dicuntur, avel ostenduntur, intelligent. *Serm. 18 in Psalm. 118.*

Non parvi est intellectus, nosse a quo poscendus sit intellectus. *Ibidem.*

Non video quid in homine possit esse intelligentia praestantius. *lib. 1 de lib. arb. cap. 1.*

Impia enim mens odit etiam ipsum intellectum,

et homo aliquando nimirum mente perversa timet intelligere, ne cogatur, quod intellexerit, facere. *Serm.*

156.

Rationis lumen.

Aliud est intellectus, aliud est ratio. Nam rationem habemus et antequam intelligamus. Homo est animal rationis capax cui natura inest ratio, et antequam intelligat jam rationem habet. Ideo vult intelligere, quia ratio praecedit. *Serm. 43 de verb. Isaiae cap. 7.*

Nihil in homine inveniri potest, quod sit in natura hominis ratione sublimius. *lib. 2 de lib. arb. cap. 6.*

Non aliter scires te habere rationem, nisi id ratione perciperes. *Ibidem cap. 6.*

Ratio caeteris in homine praestantiū; qua si quid praestantius, Deus est. *Ibidem.*

Ratio quasi animae caput, aut oculus, siquid congruentius de ratione atque intelligentia dici potest, quam non habet natura bestiarum. *Ibidem.*

Non omne quod vivit, scit se vivere, quamquam omne quod se vivere sciāt, vivat necessario. *lib. 1 de lib. arb. cap. 7.*

Se ipsa utitur voluntas, quae caeteris utitur, sicut se ipsam agnoscit ratio, quae cognoscit et caetera.

lib. 3 de lib. arb. cap. 19.

Rectum factum nullo modo esse potest, quod non a recta ratione proficiscitur. *lib. de utilt. ord.*

De veritate,

Communis omnibus veritas. Non est nec mea, nec tua; non est illius aut illius. Quod omnibus commune est, ut in circuitu ejus sint omnes qui diligunt eam.
En. in Psalm. 75.

Veritas est, per quam immutata ea quae sunt, aut fuerunt, aut futura sunt, dicuntur. *Quest. 31 de divers.*

Noli foras ire, in te ipsum redi, in interiore homine habitat veritas. *lib. de ver. Relig. cap. 39.*

Melius est qualemcumque verum quam omne, quidquid pro arbitrio fingi potest. *lib. de ver. Relig. cap. 55.*

Incomparabiter pulchrior est veritas Christiana, quam Helena Graecorum. Pro ista fortius nostri martyres adversus hanc Sodomam, quam pro illa illi heroes

adversus Trojam dimicaverunt. *Epist. ad Hieronim.* 40.

Veritas et dulcis et amara. Quando dulcis est, parcit, et quando amara curat. *ad Romul epist.* 247.

Superet te veritas volentem, nam et invitum ipsa superabit. *En. in Psalm.* 58.

Tanta autem in contemplanda veritate voluptas est, quantacumque ex parte, eam quisque contemplari potest. *lib. de quant. anim.* 33.

Occultari potest ad tempus veritas, vinci non potest. Florere potest ad tempus iniquitas, permanere non potest. *En. in Psalm.* 61.

Quando blanditur iniquitas, et dulcis est iniquitas, amara est veritas. *Serm.* 153.

Adulterium cordis est veritatem negare. *Serm.* 319.

Qui vinci a veritate nolunt, ab errore vincuntur.

Non vincit nisi veritas: victoria veritatis est caritas.

Serm. 358.

O violentia veritatis, quae suos non in carne, sed in corde torquet inimicos, ut eam confiteantur inviti. *lib. i ad Donatist. post collat.*

O violentia veritatis quolibet eculeo, quibuslibet ungulis, fortior ad exprimendam confesonem. *Ibidem.*

Non enim bonum hominis est hominem vincere, sed bonum est homini, ut eum veritas vincat volentem; quia malum est, ut eum veritas vincat invitum. *ad Pascent. Epist. cap. 239.*

Qui autem facit veritatem, accusat in se mala sua: non sibi parcit, non sibi ignoscit, ut Deus ignoscatur. *Tract. in epist. Joann. cap. 30.*

Ut enim discamus invitare nos debet suavitas veritatis. *Epist. 193 ad Mercat.*

De cuiuslibet hominis ore nobis verum cum aliqua asperitate sonuerit, non ab illo homine, qui fortè peccator est; sed ab ipsa veritate, hoc est a Christo, qui justus est emmendamur. *ad Euseb. Ep. 34.*

Magis optabo a quolibet reprehendi, quam sive ab errante sive ab adulante laudari. Nullus reprehensor formidandus est amatori veritatis. *lib. 2 de Trinit.*

Propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant. Amant eam lucentem, oderunt eam redarguentem. *lib. 10 Conf. cap. 23.*

Ab Angelis consulitur incommutabilis Veritas tamquam lex aeterna in illa Curia superna. Neque sibi ipsi sunt veritas; sed creatricis participes veritatis, ut quod

non habent ex ipsis , capiant ex ipsa. lib. 16 de C. D. cap. 6.

Mens nostra , qui est oculus animae , nisi veritatis lumine radietur , et ab illo qui illuminat , nec illuminatur , mirabiliter illustretur , nec ad Sapientiam nec ad Justitiam poterit pervenire. Tract. 35 in Joann. Evang. cap. 8.

Facilius dubitarem vivere me , quam non esse veritatem , quae per ea , quae facta sunt intellecta conspicitur. lib. 7 Conf. cap. 10.

Absolutiora sunt verba veridicorum , quam commenta fallacium. En in Psalm. 139.

Negligentius veritas quaereretur , si mendaces adversarios non haberet. Serm. 51.

Spatiatur loquacitas inopiae copiosa , ubi non cernitur , vel etiam si cernitur , spernitur veritas. lib. 3 oper. imperf. cont. Julian. 52.

CAPUT II.

Intellectus humani vitia sunt ignorantia et error.

ARTICULUS I.

Ignorantia.

Ignorantiae peccatum est, quando homo nescit negligentia sua, quod adhibita diligentia scire debuisse.

De nat. et grat. cont. Pelag. cap. 67.

Peccat quidem homo, qui vel ignorantia, vel injustitia cuiquam mali aliquid facit. *lib. 21 de C. D. cap. 13.*

Ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est, in eo autem, qui non potuerunt, poena peccati. Ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio. *ad Sixt. cap. 194.*

Aliud est, non curasse scire, quae negligentiae peccata sunt, aliud intelligere velle, nec posse, et fa-

cere contra legem, non intelligendo quid fieri vellet.

De nat. et grat. cont. Pelag. cap. 17.

Peccat homo qui vel ignorantia, vel injustia cuiquam mali aliquid fecit; sed non Deus, qui justo, quamvis occulto judicio fieri sinit. *lib. 21 de C. D. cap. 13.*

Etiam per ignorantiam facta quaedam improban-
tur et corrigenda judicantur, sicut in divinis autoritati-
bus legimus. *De nat. et grat. cont. Pelag. cap. 67.*

Illa peccati poena est justissima, ut amittat quis-
que quo benè uti noluit, cum sine ulla posset difficultate,
si vellet: id est, amittat scire, quid rectum sit;
et quid rectè facere cum posset noluit, amittat posse
cum velit. *Ibidem.*

Etsi damnabiliora peccata sunt, quae à scientibus
committuntur: tamen si ignorantiae peccata nulla essent,
hoc non legeremus: ignorantiae meae ne memineris.
lib. 1 de peccat. merit. et remiss.

Sunt revera omni peccanti animae, duo ista poena-
lia, ignorantia et difficultas, ex ignorantia de honestat
error, ex difficultate cruciatus affligit. *de nat. et grat.*
cont. Pelag. cap. 67.

Ignorantia sine concupiscentia minus peccat. *Cont.*

Julian. Pelag. lib. 6 cap. 16.

Nescire malum non semper est malum. *Ibidem.*

Bonum quoque ipsum utiliter aliquando ignoratur, ut opportunè sciatur. *lib. 6 cont. Julian. Pelag. cap. 16.*

Melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia *Serm. 27 de Psalm. 95.*

Non erubescendum est homini confiteri se nescire quod nescit, ne dum scire mentitur, numquam scire mereatur. *ad Optat. Ep. 190.*

Aliud est ignorare, quod nescire malum est, aliud quod sciri vel non potest vel non opus est, vel ad vitam indifferens est. *lib. de sentent. Jacob. ad Hieronim.*

Ignorantia mater est admirationis. *lib. 3 Conf.*

Ignorantiae simbolum tenebrae. *En. in Psalm.*

34 Serm. 1.

Non ambuletis sicut et Gentes ambulant in vanitate mentis suae, obscurati intelligentia, alienati à via Dei per ignorantiam. *Serm. 19 in Psalm. 118.*

ARTICULUS 2.

magis obsequio toti **Error**, ap' eis quip' misere-

Error est enim cum sequimur aliquid, quod non ad id dicit, quô volumus pervenire. Et quantò magis in via vitae quis errat, tantò minus sapit. *lib. 2 de lib. arb. cap. 9.*

Error mihi videtur falsi pro vero approbatio. In quem nullo pacto incidit, qui veritatem quaerendam semper existimat. Falsum probare non potest, qui probat nihil. Non igitur potest errare. *Cont. Academ. lib. 2 disput. 2.*

Diabolicum est peranimositatē in errore manere, humanū est errare. *Serm. 165.*

Non enim errat quisquis aliquid nescit: sed quisquis se existimat scire quod nescit: pro vero quippe approbat falsum, quod est erroris proprium. *Enchirid. de Fid. Spe. et Carit.*

Mirandum non est quod errores exsurgent, sed vigilandum ne noceant. *Epist. ad Maximinum 264.*

Quaedam acutissima et excellentissima ingenia tantò in maiores errores ierunt, quantò praesidentius tamquam suis viribus concurrerunt, nec suppliciter ac veraciter Deum, ut sibi viam ostenderet, petiverunt.
Epist. ad Maced.

Nonnullis errare profuit aliquando, sed in via pedum non in via morum: quoniam est et error bonus, qui non solùm nihil obsit, verum etiam proposit aliiquid. *Enchirid. de Fid. & cap. 17.*

Non enim sibi qui mentitur videtur errare, sed alium in errorem mittere credentem sibi. *Enchirid de F. S. et C. cap. 17.*

Numquam errari tutius existimo, quam cum in amore nimio veritatis et rejectione nimia falsitatis erratur. *lib. de Mendac. cap. 1.*

Errorem definiire est facilius, quam finire. *lib. 1 cont. Acad. cap. 4.*

Duo sunt quae in errore hominum difficilimè tolerantur: praesuntio prius quam veritas pateat, et cum jam patuerit praesumptae defensio falsitatis. *lib. 2 de Trinit. Dei.*

Quae est pejor animae mors, quam libertas

erroris? Epist. 105 advers. Donatist.

Nimis perverse se ipsum amat, qui alios vult errare, ut error suus lateat. Quantò melius et utilius, ut ubi ipse erravit, alii non errent, quorum admonitu errore careat. Si enim mihi Deus quod volo praestiterit, ut omnium librorum meorum quaecumque mihi rectissimè displicent, opere aliquo ad hoc ipsum instituo, colligam atque demostrem; tunc videbunt homines, quam non sim acceptor personae meae. *Epist.*

143 ad Maxim.

Est autem hoc erroris proprium, ut quod cuique displicet, hoc etiam Deo displicere arbitretur. *de Genes. cont. Manich. lib. 2.*

CAPUT III.

Tria, quae perficiunt et ad rectum finem intellectum perducunt.

Disciplina, doctrina et donum Dei.

ARTICULUS I.

Disciplina.

Disciplinam qui abjicit, infelix est. Disciplinam qui non dat, crudelis est. *Serm. 13 et 14 sup. Psalm. 9 v. 14.*

Disciplinae domus Ecclesia Christi. Discitur bene vivere. Discunt Christiani, docet Christus. Primò ergo quid sit bene vivere, deinde quae sit merces bonaevitiae, qui sint veri Christiani, quis sit verus Magister. *Serm. 1 de disciplin. Christ.*

Disciplina periculosè negligitur. *Epist. 63 ad Sever.*

Feliciores sunt qui discunt, quam qui docent: feliciores sunt qui audiunt quam qui loquuntur. Magnus tremor est in docente, Fratres mei, magnus tremor est noster in his vocibus nostris. *En. in Psalm. 50.*

Augustinus plus amat discere, quam docere. *Epist. 193 ad Sixt.*

Qui enim discit, humilis est: qui autem docet, laborat ut non sit superbus. *En. in Psalm. 50.*

Ut autem natura beatificetur intrinsecus, doctrina ministratur extrinsecus. Quod autem ad arborem colendi negligentia, hoc ad animam discendi segnitia. *lib. 8 de Genes. ad litt.*

Utiliora magis quam mirabiliora sunt discenda. Discentium tormenta in hac vita ad miserias hujus saeculi pertinent. *Operis imperf. cont. Julian. lib. 6.*

Haec disciplina eis, qui illam nosse desiderant, geminum ordinem sequi jubet, cujus una pars vitae, altera eruditionis est. *lib. 2. de Ord.*

Disciplinarum omnium excogitatrix ratio. *Ibidem.*

Odium ex corde dimitte, non disciplinam. *Serm. 56 in Math. 6.*

Inter discentes et vescentes est aliqua similitudo.

Propter fastidia plurimorum , etiam ipsa , sine quibus
vivi non potest alimenta conienda sunt . lib. 4 de
Doct. Christ.

Non negligatur disciplina , ne per solutionem dis-
ciplinae crescat nequitia . *Serm. 83. de verb. in*
Math. 18.

Ipsis Doctoribus in docendis non debere cessare.
lib. 4 de Doctrin. Christ.

Cervicem erigere potes , calcem mittere : sed vè
tibi sine rectore , quia libertas ista , in bestias te mit-
tit comedendum . *Tract. 7 in Epist. Joann. cap. 4.*

Doctrina.

Legant nostra praecepta et per Profetas , et per
sanctum evangelium , et per Apostolicos actus , tam
multa excellenter , quam divinè , non tamquam ex phi-
losophorum concertationibus strepere , sed tamquam
ex oraculis et Dei nubibus intonare . *lib. 2 de C. D.*
cap. 19.

Multae enim doctrinae sunt , si tamen doctrinae
dicendaे sunt , vel superfluae , vel noxiae . Veterum

libris Christus adtestans: in his duobus praeceptis tota lex pendet et Prophetae. *Epist. 233 ad Longin.*

Subversa fidei disciplina, nec ad intelligentiam pervenitur, cui capienda ista parvulos nutrit: atque ita omnis doctrina veritatis aufertur, cedens licentiosissimae falsitati. *lib. de mendacio cap. 8.*

Soeculares doctrinae sterili vanitate resonantes de quibus idolorum fabularumque ad Deos Gentium pertinentium vario sermone, atque carminibus percrepant, quibus Doemonia delectantur, nihil solidum et rectum quod ad beatam vitam pertineat, edocent. *lib.*

2 Quaest. *Evang.*

Christus noster tanta frequenter pro moribus praecepta dedit. Dii verò Gentilium nullis talibus praeceptis egerint aliquid cum suo cultore populo. *lib. 2 de C. D. cap. 25.*

ARTICULUS III.

Donum Dei.

Deus sic intellectum illuminat de se ipso, ut non

solum illa quae à veritate monstrantur, sed ipsam quoque proficiendo perspiciat veritatem. *In Psalm. 118 Serm. 19.*

Si quisquam non intellexerit, ignoscat humanae fragilitati, et supplicet divinae bonitati. Habemus enim intus Magistrum Christum. *Tract. 20 in Joann. Evang. cap. 5.*

Christus intus docet, homo verbis foris admonet. *lib. de Magistro cap. 4.*

Magisteria forinsecus, adjutoria quaedam sunt, et admonitiones. Cathedram in coelo habet qui corda docet. *Tract. 4 in Epist. Joann. cap. 2.*

Quibus unctione illa intus non loquitur, quos Spiritus Sanctus intus non docet, indocti redeunt. *Ibidem.*

Spiritus Dei nisi regat, cadis : nisi erigat, jaces. *Serm. 156 de verb. Ap. ad Rom. cap. 8.*

Spiritus Sanctus quasi descendens ad nos incipit à Sapientia, finit ad timorem ; nos autem ascendentes incipimus à timore, perficimur in Sapientia. *In Psalm. 118 Serm. 19.*

Interior ergo Magister est qui docet, Christus docet, inspiratio ipsius docet. Ubi inspiratio et unc-

tio illius non est, forinsecus inaniter perstrepunt verba. Audi te Magistrum interiorem. *Tract. 4 in Epist. Joann. cap. 2.*

Cogitandum est quantò sint altius intelligenda divina mandata, quando ad ea discenda sibi adhuc dari intellectum David petiit. *In Psalm. 118 Serm. 19.*

Non ambuletis sicut et Gentes ambulant in vanitate mentis sua, obscurati intelligentia, alienati à via Dei per ignorantiam. *Ibidem.*

Laboraverunt philosophi in studiis suis, ut invenirent quomodo vivendum esse: dissenserunt et à Magistris discipuli, et inter se condiscipuli, quia ut homines humanis sensibus, et humanis ratiocinationibus ista quaesierunt. *lib. 18 de C. D. cap. 41.*

CAPUT IV.

De voluntate humana.

ARTICULUS I.

Voluntas quid?

Voluntas est animi motus, cogente nullo, ad ali-
quid vel non amittendum, vel adipiscendum. Quod
propterea dictum est, ut hac definitione volens à no-
leate discerneretur. *lib. i Retract. cap. 15.*

In Dei voluntate summa potestas est, quae crea-
torum spirituum voluntates bonas adjuvat, malas ju-
dicat, omnes ordinat. *lib. 5 de C. D. cap. 9.*

Sicut omnium naturarum Creator, ita omnium
potestatum dator, non voluntatum. Malae quippe vo-
luntates ab illo non sunt. *Ibidem.*

Si voluntas hominis perversa est, perversos ha-
bebit motus. Voluntas est in omnibus: immo omnes

nihil aliud quam voluntates sunt. lib. 14 de C. D. cap. 6.

Pro varietate rerum quae appetuntur atque fu-
giuntur , sicut allicitur vel offenditur voluntas hominis,
ita in hos vel illos affectus mutatur et vertitur. lib.
14 de C. D. cap. 6.

Velle proprium habere est humanae infirmitatis. Conceditur humanae fragilitati , conceditur humanae infirmitati aliquid proprium velle , sed statim cogita, qui sit supra te; illum supra te, te infra illum; illum Crātorem , te creaturam ; illum Dominum , te servum; illum Omnipotentem , te infirmum ; et corrigens te, subjungens que voluntati ejus, ac dicens, Verūm quod ego volo non , sed quod tu vis, Pater. En. 2 in Psalm. 32.

Voluntas quippe est qua, et peccatur , et recte vivitur. Retract. lib. 1.

ARTICULUS II.

ad hanc simplicem Voluntas.

Libertate gaudet, et fertur in bonum,
Libertas.

Nihil tam in nostra potestate quam ipsa voluntas est. *De lib. arb. lib. 3.*

Voluntas igitur nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus, aut potest non esse quod habemus. *Ibidem.*

In tantum libera est in quantum liberata est, et in tantum appellatur voluntas. *Retract. lib. 1.*

Voluntas libera est, in quantum liberata est, et tanto erit liberior quanto sanior: tanto autem sanior, quanto divinae misericordiae gratiae que subjicitur. *ad Hilarium Epist. 157.*

Voluntatis arbitrium non ideo tollitur, quia juvatur; sed ideo juvatur, quia non tollitur. *Ibidem.*

Semper est nobis voluntas libera, sed non semper est bona. *Lib. de grat. et lib. arb. cap. 15.*

Hoc enim libera voluntate facis, quando amas quod laudas, non ex necessitate, sed quia placet. *En. in Psalm. 134.*

Libertas si tollitur omnis humana vita subvertitur: frustra leges dantur; frustra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur; neque ulla justitia bonis praemia et malis supplicia constituta sunt. *lib. 5. de C. D. cap. 9.*

Eo ipso quo praeceptum et imperatnm est, ut intelligamus, atque sapiamus, obedientia requiritur nostra, quae nulla potest esse sine libero arbitrio. *ad V. Valent. cap. 214.*

Si mihi non dedisses liberum arbitrium, et per hanc rationem pecoribus me non faceres meliorem, non me sequeretur damnatio justa peccantem. Ergo per arbitrium liberum lavasti me, et per justitiae judicium elisisti me. *En. in Psalm. 101 Serm. 1.*

Liberum arbitrium sic hominibus datum, ut et divinis legibus et humanis rectissime gravium supplicia constituta sint peccatorum. *ad Dulcitium. epist. 240.*

Dedit Deus homini liberum voluntatis arbitrium.
Non enim esset optimus, si Dei praeceptis necessitate,
non voluntate serviret. *De agon. Christ. cap. 10.*

Libero arbitrio malè utens homo, et se perdidit,
et ipsum. *Enchirid. de Fid. spe, et Carit. cap. 29.*

~~non~~ Compertum est, nulla re fieri mentem servam
libidinis, nisi propria voluntate: nam neque à superio-
re, neque ab aequali eam posse ad hoc dedecus cogi,
quia injustum est, neque ab inferiori quia non po-
test. *De lib. arb. lib. 3.*

Omnia quibus humanum genus administratur et
regitur, penitus labefactari atque subverti, nisi volun-
tas sit causa peccandi. *ad Pos. Sid. Epist. 245.*

Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?

Peccatur autem: ergo caveri potest. *Retract. lib. 1.*

Liberum arbitrium quo beati esse volumus et mi-
seri esse nolumus nec miseri possunt amittere, nec bea-
ti. *lib. 6 operis imperf, cont. Julian. cap. 26.*

ARTICULUS III.

Voluntas innato pondere fertur in bonum.

Beati esse volumus, et miseri esse nolumus non solum; sed neque velle possumus. *lib. 12 de C. D. cap. 1.*

Non est creaturae rationalis vel intellectualis bonum, quo beata sit, nisi Deus. *lib. 12. de C. D. cap. 1.*

Si bona quaeris, prius esto ipse quod quaeris. *Serm. 29. de 1. vers. Psalm. 117.*

Voluntas namque non est nisi in bonis; nam in malis flagitiosisque factis cupiditas propriè dicitur, non voluntas. *De Serm. Dom. in mont. sec. Mat. lib. 2.*

Voluntas dum bonum non vult, vitium est humanae naturae; dum bonum vult, adjuvatur divina gratia. *De gest. Pelag. cap. 3.*

Tanta vis est boni, ut bonum quaerant et malum. *Serm. 29 de 1. vers. Psalm. 117.*

Quanta bona quaeris , homo male. Dic mihi quid velis , nisi bonum? Equum quaeris , non nisi bonum; fundum quaeris , non nisi bonum ; uxorem quaeris, non nisi bonam ; tunicam non nisi bonam ; caligam, non nisi bonam : anima solam malam. *Ibidem.*

Alia quae dicuntur bona , ab aliquo bono habent ut sint bona. Si quaerimus omnia bona à quo habent ut sint bona. Nullum esset bonum , nisi à bono factum esse , quod factum non est. *Serm. 29 de i vers.*

Psalm. 117.

ARTICULUS IV.

De concupiscentia , quae est vitium et languor voluntatis.

Concupiscentia , cum qua nati sumus , finiri non potest quandiu vivimus : quotidie minui potest , finiri non potest. *Serm. 151 de verb. Apost. Rom. 8.*

Melius est concupiscentias non habere : sed quia sunt , noli post eas ire. Nolunt post te ire , noli post eas ire. Rebellant , rebella ; pugnant , pugna ; expugnant , expugna : hoc solum vide , ne vincant. *Ibidem.*

Pugno foris contra factos bonos , intus pugno contra concupiscentias meas. *En. in Psalm. 129.*

Concupiscentiae pugnam non experiuntur in se-metipsis nisi bellatores virtutum , debellatoresque vi-torum. *lib. de continent.*
Tales milites Apostolica tuba isto sonitu accen-dit in praelium. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore. *Ibidem.*

Appetuntur ardenter , quae vetantur , dum id quod spiritualiter jubetur carnis observare compelli-tur. *ad Assell. Epist. 196.*

Tantò enim gloriosius mens ad superiora promo-vetur , quantò diligentius ab inferioribus concupiscen-tia cohibetur. *lib. de oper. Monach.*

Malè utitur malo concupiscentiam relaxans adul-terio. Benè utitur malo concupiscentiam restringens connubio. *lib. 1. de peccat. merit. et remiss.*

Nescio quo modo , hoc ipsum quod concupisci-tur , sit jucundius dum vetatur. *lib. de spirit. et litt.*

Concupiscentia carnis , adversus quam bonus con-cupiscit spiritus et peccatum est , quia inest illi ino-bedientia contra dominatum ; et est poena peccati quia

reddita est meritis inobodientis: et caussa peccati est defectione consentientis, vel contagione nascentis. lib. 5 cont. Pelag. Julian. cap. 3.

Concupiscentia non est peccatum ei non consentienti. Epist. 196 ad Ascelicum.

Faciat animi potestas, si potest, ut ad transgrediendos fines, à quibus transgrediendis eam revocat, non se libido commoveat. lib. 5 cont. Julian. Pelag. cap. 3.

Libidini necesse est ut repugnet, qui servire noluerit; necesse est ut serviat, qui repugnare neglexerit. lib. 5 cont. Julian. Pelag. cap. 16.

Discordia, quae est in spiritu et carne, pro concordia laborat. Spiritus ideo laborat, ut caro cum illo concordet. Serm. 152 de verb. Apost. Rom. 8.

Etsi spiritus concupiscit contra carnem, et caro concupiscit adversus spiritum; etsi modò rixa est in ista domo, maritus litigans, non perniciem, sed concordiam quaerit uxoris. Serm. 152 de verb. Apost. Rom. 8.

Praestat pugnare cum concupiscentiis, quam patimere habere cum illis. lib. 21 de C. D. cap. 15.

Concupiscentia primò sequentes dicit , postea renitentes trahit ; accepta gratia , nec trahit , nec dicit , sed adhuc contendit ; post contentionem victoria.

En. in Psalm. 64.

Concupiscentiae malo benè utuntur casta coniugia. *De peccat. merit. et remiss. lib. 2.*

Hujus plague pruritus quidam in adulteriorum , et fornicationum , et quorum libet stuprorum , atque inmundiciarum foeditatibus regnat : in connubiorum verò necessitudinibus servit. *lib. 1 de nupt. et concupiscent.*

Concupiscentia lex foeda , lex misera , vulnus , tabes et languor. *Serm. 152 de verb. Apost. Rom. 8.*

ARTICULUS V.

De cupiditate quae vitium est improbae voluntatis.

Cupiditas est amor turpis , quo animus se ipso inferiora sectatur , quae propriè cupiditas dicitur , omnium scilicet malorum radix. *lib. de divers. quaest. 83.*

Est autem Cupiditas amor adipiscendi aut obti-

nendi temporalia. *lib. de divers. quaest.* 83.

In omnibus rebus quae immoderatè cupiuntur intelligenda est: Cupiditas improba voluntas est. *lib. 3 de lib. arb. cap. 17.*

Cupiditas culpabilis est non ex objecto suo, sed ex inordinatione sua. *In Joann. Evang. cap. 14 tract. 73.*

Cupiditas triplex, voluptatis, dominationis, et cognitionis. *lib. de ver. Relig.*

Ibi labor, ubi multa quaeruntur et diliguntur, quibus adipiscendis et retinendis voluntas non satis est, quia consequentem non habet facultatem. *ad Armen. et Paul. Epist. 127.*

Cupiditatis ardorem dum scalpimus, accendimus. Quasi unguis scalpentium fervidus tumor et tabes, et sanies horrida consequebatur. Talis vita mea, numquid vita erat, Dux meus? *Confess. lib. 3 cap. 2.*

Quantò magis regnum cupiditatis destruitur, tantò Caritatis augetur. *lib. 3 de D. Christ. cap. 10.*

Non est in carendo difficultas, nisi cum est in habendo cupiditas. *lib. 3 de doct. Christ. cap. 10.*

Inaniter putat victorem se esse peccati, qui poenae timore non peccat, quia etsi non impletur foris

negotium malae cupiditatis , ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. *ad Anast. Epist. 145.*

Radicata est cupiditas? Species potest esse bonorum factorum , verè opera bona esse non possunt, *Tract. 8 in Joann. Epist. cap. 4.*

Homines cupiditatibus perversis et pravis facti sunt velut pisces invicem se devorantes. *En. in Psalm. 64.*

Cum parvula est cupiditas , antequam robur faciat adversum te mala consuetudo , elide illam. *En. in Psalm. 136.*

Servum te facit cupiditas , liberum caritas : si non vis esse servus , esto fugitivus. *Serm. 175.*

Amor inhians habere quod amat, cupiditas est; id autem habens , eoque fruens laetitia est. *lib. 14 de C. D. cap. 7.*

Cupiditas hominis quae vitium est , hominem habet auctorem vel hominis deceptorem , non hominis Creatorem, *De grat. Christ. cont. Pelag. et Coelest.*

Carnalis cupiditas cupiditate alia non sanatur. *lib. 3 cont. duas Epist. Pelag. cap. 4.*

Carnalis timor et cupiditas servos facit; fides, spes et caritas liberos. *Ibidem.*

Nescit cupiditas, ubi finitur necessitas. *lib. 4 cont.*
Julian. Pelagian. cap. 14.

Cuando homo traditur in desideria superbiae sua, tanto amplius augetur hoc malum, quanto magis ei cupiditates caeterae cesserint, easque velut laudabilis hanc unam oblectando compresserint. *lib. 5 cont.* *Julian. Pelagian. cap. 3.*

Si praestes animae tuae inconcupiscentias ejus, faciet te gaudium inimicis, et invidis tuis. *Ibidem.*

Concupiscentia minui in hac vita potest, consumi non potest. *lib. 6 cont.* *Julian. Pelag. cap. 16.*

Omnes pravae cupiditates sunt portae inferi, per quas itur in mortem: cuius dominatum subit qui adeptum se ad perfruendum laetatur. *En. in Psalm. 90 lib. 14.*

Cupiditas mundi initium habet ex arbitrio voluntatis, progressum ex jocunditate voluptatis, firmamentum ex vinculo consuetudinis. *De patient. cap. 17.*

Cupiditas sicut radix spinarum, dulcem pluviam ad punctiones convertit. *En. in Psalm. 139. lib. 10.*

Cupiditas cum parvula est hinc perimenda est, ut consumatnr; non differenda, ut ibi (in coelo) satietur. *En. in Psalm. 110. lib. 10.*

Pro deliciis omnibus hujus seculi, immortalium
deliciarum matrem concupisce sapientiam. *Ibidem.*

CAPUT VI.

CAPUT VI.

De iis, quae ad bonam voluntatem maximè spectant.

ARTICULUS I.

Vera bona appetere.

In est homini anima rationalis, sed interest ejusdem rationis usu, quoniam potius voluntatem convertat; utrum ad bona exterioris et inferioris, an ad bona interioris superiorisque naturae. *lib. ad Honor. Epist.*

Mens nullas perturbationes, etiam si accident inferioribus animi partibus, in se contra rationem prævalere permittit: quin immo eis ipsa dominatur, eisque non consentiendo, sed potius resistendo regnum virtutis exercet. *lib. 9 de C. D. cap. 4.*

Passiones, quae Christianos animos afficiunt, non in vitium trahant sed virtutem exerceant, menti ita moderandas atque frenandas subjiciuntur, ut in usus iustitiae convertantur. *lib. 9 de C. D. cap. 5.*

Erige te ad bonum bonorum omnium. Serm. 278 de Paul. Apost.

Bona si quaeris, prius esto ipse quod quaeris. Odio habentes mala vestra bona eligit. *Serm. 29 de 1 vers. Psalm. 117.*

Quid est bonum? O si scires, quid est bonum! Vis enim habere sanitatem corporis; hoc bonum est; nec tamen putas magnum bonum esse, quod habet et malus. Aurum et argentum habere vis: Aurum et argentum malis malum est, bonis bonum est. Honorem habere vis, bonum est: sed et hoc si bene utaris. Discernamus ergo ista bona. *Serm. 72 de verb. Matthaei 12.*

Bonum enim nostrum, de cuius fine inter philosophos magna contentio est, nullum est aliud, quam illi cohaerere: cuius unius anima intellectualis incorporeo, si dici potest, amplexu, veris impletur fecundaturque virtutibus. *lib. 10 de C. D. cap. 3.*

non Ad hoc bonum debemus , et à quibus diligimur duci , et quos diligimus ducere. *Ibidem.*
 Ut enim homo sese diligere nosset , constitutus est ei finis , quò refferret omnia quae ageret. *lib. 10 de C. & D. cap. 3.*

Mala fugere et aversari.

Duo sunt genera malorum , peccatum et poena peccati: peccatum ad Deum non pertinet, poena peccati ad vindicem pertinet. *Cont. Fortunat. Manich. disput. 1.*

Dupliciter appellatur malum , unum quod homo facit; alterum quod patitur ; quod facit peccatum est; quod patitur poena. *Cont. Admant. cap. 26.*

Quae dicuntur mala aut vitia sunt rerum bonarum , aut supplicia peccatorum. *Cont. advers. leg. lib. 1 cap. 5.*

Ut tamen nec ipsa mala desideria sint , velle debemus , etiam si incorpore mortis hujus id obtainere non possumus. *lib. 1 de nuptiis &c. cap. 27.*

Mali natura nulla est, sed amissio boni hoc nomen accepit. Malum enim nisi experimento non sentiremus, quia nullum esset, nisi fecissemus. *De genes. ad litt. cap. 14.*

Malum culpae ex libero voluntatis arbitrio proficiscitur. *lib. 1 retract. cap. 16.*

Malus quisque sui malefactor est. *De lib. arb. lib. 1 cap. 1.*

Vita hominis carnalibus est sensibus implicata, gaudiis carnalibus dedita, carnalem fugitans offensionem, voluptatemque consectetur. Ab hac vita incipere necessitatis est, in ea persistere voluntatis. *lib. ad Honor. Epist. 140.*

Bona temporalia concupita inardescunt, adepta vi-lescunt, amissa vanescunt. Utimur eis et non secun-dum peregrinationis nostrae necessitatem: sed non in eis gaudia nostra figamus, ne illis habentibus subruamur. *Serm. 157 de verb. Apost. ad Rom. 8.*

Duobus modis appellare solemus malum, uno cum mālē quemque fecisse dicimus; alio, cum mali aliquid esse perpessum. *lib. 1 de lib. arb. cap. 1.*

Omne malum hominis error et infirmitas. *Contra*

errorem clama, Dominus illuminatio mea. Contra infirmitatem adde. Et salus mea. *Serm.* 183.

Divina providentia cuncta moderante et gubernante, ita homo male fecit quod vult, ut male patiatur, quod non vult. *Ibidem.*

Mala morum vel sola vel maxima deputanda sunt. Illa vero mala non dico patienter, sed libenter habent, quibus ipsi fiunt mali. *lib. 4 de C. D. cap. 2.*

Mali sola deputant mala, corporis externalium, externalium que rerum incommoda, qualia sunt fames, morbus, bellum, expoliatio, captivitas, trucidatio, et siqua similia. Haec enim sola mali deputant mala, quae non faciunt malos. *lib. 3 de C. D. cap. 1.*

Sunt enim mala sine dolore pejora; pejus est gaudere de iniquitate, quam dolere de corruptione. Iniquitas est desertio meliorum. *De nat. bon. cont. Manich. cap. 20.*

Omne crimen, facinus vel peccatum, nostrae est negligentiae. *Serm. 101 de verb. Evang. Luc. 10.*

Motus ille aversionis à bono, quoniam defectivus motus est, ad Deum non pertinere ne dubites. Qui tamen defectus quoniam est voluntarius, in nostra est

positus potestate. *lib. 2 de lib. arb. cap. 20.*

Nulla re fieri mentem servam , nisi propria voluntate , compertum est. *Ibidem.*

Voluntas conversa ad proprium bonum, aut ad exterius peccat , cùm suaे potestatis vult esse. *lib. 2 de lib. arb. cap. 20.*

Quae aversio atque conversio quoniam non cogitur , sed est voluntaria , digna et justa eam miseriae poena subsequitur *lib. 2 de lib. arb. cap. 5.*

Tu tantùm pietatem inconcussam tene , ut nullum tibi bonum vel sentienti vel intelligenti , vel quoquo modo cogitanti occurrat, quae non sit ex Deo. *Ibidem.*

ARTICULUS III.

Rectum rerum ordinem servare.

Peccas quia inordinatè tractas res quas in usum accepisti. Esto bene utens rebus inferioribus , et eris rectè fruens bono superiore. *Serm. 21 de vers. 11. Psalm. 63.*

Noli relicto superiore bono curvare te ad inferius bonum. *Ibidem.*

In quadam medietate posita est, infra se habens corporalem creaturam, supra se sui et corporis Creatorem. *lib. ad Honor. Epist. 140.*

Ita benè agit in his anima rationalis, si ordinem servet, et distinguendo, eligendo, pendendo subdat minora majoribus, corporalia spiritualibus, inferiora superioribus, temporalia sempiternis; ut potius ordinata caritate se et corpus suum convertat in melius. *lib. ad Honor. Epist. 140.*

Agnosce ordinem, quaere pacem. Tu Deo, tibi caro. Tu majori, minor tibi: servi tul ei qui fecit te, ut tibi serviat quod factum est propter te. *En. in Psalm. 143.*

Caro tua conjux tua, famula tua: quodlibet deputa, opus est, ut subjicias. Hoc enim expedit inferioris subjici superiori; ut ille qui sibi subjici vult, quod est inferioris se, subjiciatur superiori. *En. in Psalm. 143.*

Quid enim est aliud, falsis bonis illudi atque decipi, quam te ipso inferiora, miranda et appetenda arbitrari. *Serm. 278 de Paul. Apost.*

Bonorum inferiorum adeptio gaudium facit; sed

iniquitas est desertio meliorum. *De nat. bon. cont.*
Manich.

Ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio. *lib. 19 de C. D. cap. 13.*

Turpis enim est pars suo universo non congruens. *lib. 3 Conff. cap. 15.*

Ordo est, quem si tenuerimus in vita, perducet ad Deum, et quem nisi tenuerimus in vita, non perveniemus ad Deum. *lib. 1 de Ord. cap. 9.*

Qui enim injustè se ordinat in peccatis, justè ordinatur in poenis. *lib. de grat. nov. testam. ad Honorat. cap. 140.*

Deus naturarum optimus conditor; peccantium verò justissimus Ordinator est: ut etiam, si qua sìgillatim fiunt delinquendo deformia, semper tamen cum eis universitas pulchra sit. *lib. 3 de Genes. ad litt. cap. 14.*

Nullus melius ordinat quid agat, nisi qui paratior est non agere, quod divina potestate prohibetur, quam cupidior agere quod humana cogitatione meditatur. *De cathech. rud.*

Omnis pars ad universi cuius pars est, integrum

tatem refertur. *lib. 19 de C. D. cap. 16.*

Ordo est ut nulli noceat, deinde etiam ut prosit, cui potuerit. *lib. 19 de C. D. cap. 14.*

Appetitus cum rationi subditus non est, miseros facit. Non enim rectus ordo, aut ordo appellandus est omnino ubi deterioribus meliora subjiciuntur. *lib. 1 de lib. arb. cap. 8.*

CAPUT VII.

De Conscientia.

Loquitur Deus in bonorum malorumque conscientia. Nam approbare quod benè facit et improbare quod peccat, nemo rectè potest, nisi ad eadem illa in silentio cordis vel laudante vel clamante voce veritatis. *Serm. 12.*

Ibi tè volo probare integrum judicem, ubi non quaeris testem. *Serm. 13.*

Accusator cordis esse non potest, nisi cordis inspecto. *Serm. 91.*

Rédi ad te , intus esto tibi iudex. Vide si non in corde tuo conspicis iniuriam , ne forte quod reprehendis in altero , cogites facere. *En. in Psalm. 66.*

In quantis sis minor , tibi cogitandum est ; non in quantis sis major. Magis cogitare debetis , quid vobis desit , quam quid vobis addit. Quod habes , cave ne perdas. *Serm. 34.*

Nemo scit quid agatur in homine , nisi spiritus hominis qui in ipso est. *Epist. 130 ad Probam.*

Horrendis et poenalibus tenebris , omnes non tantum carceres , sed etiam inferos vincit scelerati hominis conscientia. *Epist. 151 ad Caecilian.*

De Conscientiae puritate quidquid procedit , tantò est laudabilis , quantò humanas laudes minus desiderat. *lib. de Serm. D. in mont. cap. 2.*

Secum se trahit quocumque fugerit. Non fugit se ipsum mala conscientia , non est qui eat , sequitur se , immo non recedit à se : peccatum enim quod facit , intus est. *Tract. in Joann. Evang. cap. 8.*

Redi ad conscientiam tuam , ipsam interroga. Noli adtenderet quod floret foris , sed quae radix est in terra. *Tract. 8 in Epist. Joann. cap. 4.*

De cordis arca profer laudis incensum, de cellario bonae conscientiae profer sacrificium fidei. Quidquid profers, accende caritate. *En. in Psalm. 56.*

Intelligendo in quo malo sis, non eris insipiens; prospiciendo tibi in futurum, non eris imprudens. *En. in Psalm. 48.*

Laudatores nostri non minuunt onera conscientiae nostrae: atque utinam non etiam accumulent. *In Epistolam ad Galat. cap. 6.*

Est quidam modus in conscientia gloriandi, ut noveris fidem tuam esse sinceram, spem tuam certam, caritatem tuam esse sine simulatione. *En. in Psalm. 149.*

Verbi Dei inanis est forinsecus praedicator, qui non est intus auditor. *Serm. 179.*

In suo opprobrio non est cujuscumque suspicio, sed scientia, ubi loquitur conscientia. *En. in Psalm. 118 Serm. 11.*

Multi enim vacant membris, et tumultuantur conscientia. *En. in Psalm. 91.*

Propter nos conscientia nostra sufficit nobis: propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in yobis. Conscientia tibi, fama proximo tuo. *Serm. 355.*

Qui fidens conscientiae suae, negligit famam suam, crudelis est. *Serm.* 355.

Scio quantum tibi fama mea sit necessaria: sufficit mihi conscientia mea, *Serm.* 356.

Verius atque jocundius est gaudere hominem de bona conscientia inter molestias, quam de mala inter delicias. *lib. de catech. rud.*

Ponenda est continentia, ubi et tacentium loquitur conscientia. *lib. de Continent.*

Nullae sunt poenae graviores quam malae conscientiae, inqua cum Deus non habetur, consolatio non inventur. *En. in Psalm.* 45 n. 2.

Falso examine fallitis intuentes: nescitis alium esse qui appendit, alium qui de pondere judicat. *En. in Psalm.* 61.

Si quis autem putaverit bonum esse, quod malum est, et fecerit hoc putando utique peccat. *Epist.* 47 *ad Publicolam.*

Venter interioris hominis conscientia est. Bibito ergo isto liquore, vivescit purgata conscientia; et hau- riens fontem habebit; etiam ipsa fons erit. *Tract.* 32 *in Joann. Evang. cap. 32.*

Beati qui gaudent, quando intrant ad cor suum, et nihil mali ibi inveniunt. Si ergo miseri sunt, qui cum redeunt ad parietes suos, timent ne aliquibus suorum perturbationibus evertantur; quantô sunt miseriores, qui ad conscientiam suam redire nolunt, ne ibi litibus peccatorum evertantur. Ergo ut possis libens redi ad cortuum, munda illud. *En. in Psalm. 33.*

Ad me redeam, ubi inveniam quod immolem: ad me redeam, in me inveniam laudis immolationem: sit ara tua, conscientia mea. *En. in Psalm. 49.*

Qui mala faciunt, conscientiam suam contemnunt. Ponit modum iniquitati suaे, quisquis erubuerit conscientiae suaе. *Serm. 33o.*

Deo sedes est conscientia piorum: et ita sedes Dei est in cordibus hominum. *En. in Psalm. 45.*

In ipso homine laetitia quaedam bonae conscientiae paradisus est, pollens affluentia gratiarum, castisque deliciis. *lib. 22 de Genes. ad litt. cap. 34.*

Siquis bonum putaverit esse, quod malum est, et fecerit, hoc putando utique peccat. *ad Publicolam Epist. 47. erronea.*

CAPUT VIII.

Hominis Officia erga corpus suum.

Nemo enim carnem suam odio habe. *lib. de cur. pro mort. gerend.*

In corpore melius est vulnus cum dolore, quam putredo sine dolore, quae specialiter corruptio dicitur. *De nat. bon. cont. Manich. cap. 20.*

In corpore animato corruptio sanitatis dolor et morbus; corruptio virium lassitudo, corruptio quietis labor. In corpore solo corruptio pulchritudinis foeditas, corruptio rectitudinis pravitas, corruptio ordinis perversitas, corruptio integritatis dissensio, aut fractura, aut diminutio. *Cont. Epist. Manich. cap. 35.*

Salus carnis et reparatur et moritur, et cum reparatur mors differtur, non auffertur. Tamen ipsa salus à Domino est, per quemlibet detur: quocumque cuante et ministrante impertiatur. *Tract. 30 in Joann.*

Praeter salutem istam communem nobis cum ani-

mantibus mutis, est quod nobis praestet Deus; illis autem non praestat. *Tract. 34 in Joan. Evang. cap. 8.*

Vitia corporum naturalia non tribuenda Deo conditori: nec nascerentur vitiosa nisi natura esset peccato vitiata. Natura bona sunt semina, sed vitiantur et semina, eisque vitiatis, propagantur et vitia. *lib. 2 Oper. imperf. cont. Julian. cap. 123.*

~~missp~~ Est ergo summum corporis bonum, non voluptas ejus, non indoloria, non vires, non pulcritudo, non velocitas, et si quid aliud in bonis corporis numerari solet, sed omnino anima. *lib. 1 de morib. Eccl. cap. 5.*

Cum quaerimus quinam vitae modus tenendus sit ut beatitudinem possimus adipisci, non corporis precepta dantur, nec corporis investiganda est disciplina. *lib. 1 de morib. Eccl. cath. cap. 5.*

Propterea corporea diligendo peccamus, quia spiritualia diligere et justitia jubemur et natura possumus; et nos cum corporea sequimur et diligimus mali sumus. *lib. de duab. animab: cont. Manich. cap. 13.*

Quid hac poena justius, quam ut non ad omnem nutum serviat corpus, id est suus famulus animae, si-

cut Domino suo detractavit ipsa servire. *De genes. ad litt. lib. 9 cap. 11.*

Salus corporis patrimonium est pauperis. *En. in Psalm. 76.*

Animae autem mortuae corpus sepulcrum est. *En. in Psalm. 87.*

Anima rationalis non beatificatur nisi à Deo, corpus non vegetatur nisi per animam. *Tract. 23 in Joann. Evang. cap. 5.*

In corporibus autem inferioribus anima post peccatum ordinata regit corpus suum, non omni modo pro arbitrio, sed sicut leges universitatis sinunt. *Epist. ad Marcellin.*

Ut animus corpori dicitur imperare, dicitur etiam libidini: sed corpori, ut rex civibus suis, aut parens liberis: libidini autem, ut servis dominus, quòd eam coërcet, et frangit. *lib. 4 Cont. Julian. Pelag. cap. 12.*

Corpori non parcendo ei consulitur. *Serm. 27.*

Praecipiendum est homini, quomodo corpus suum diligat, ut ei ordinate prudenterque consulat. *lib. 1. de D. C. cap. 25.*

CAPUT IX.

Homo et lege et norma indiget ut rectè et beatè vivat.

ARTICULUS I.

Quid sit lex naturalis.

Lex verò aeterna est, ratio divina vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans. Quisnam sit in homine naturalis ordo quaerendum est. *lib. 22 cont. Faust. cap. 27.*

AEternae legis notio, quae impressa nobis est, ea est, qua justum est ut omnia sint ordinatissima: neque ulla, ullus casus, ulla rerum labes umquam efficerit, ut justum non sit omnia esse ordinatissima. *lib. 1 de lib. arb. cap. 6.*

Est ergo quaedam lex intus, quam non habent, qui non intelligunt. Omnis qui intelligit, luce quadam non corporali, non carnali, non exteriore sed

interiore illustrantur. *En. in Psalm. 50.*

Unde scis, quia hoc justum est, nisi scias quid sit justum? Clamas quasi videntibus oculis, videns hoc justum esse utique ex aliqua regula justitiae, cui comparatur hoc, quod vides pravum, et cernens non convenire rectitudini regulae tuae. *En. in Psalm. 62.*

Non reprehenderes iniquitatem, nisi videndo justitiam. Reprehensor iniquitatis esse non potest, qui non cernit justitiam, cui comparatam, reprehendat iniquitatem. *En. in Psalm. 62.*

Magistrum intimum nos habere testamur cum bene admonentem judicio non errante approbamus. *Epist. 140.*

Quoniam lex est in ratione hominis qua suggeritur ne aliquid faciat quisque alteri, quod pati ipse non vult: secundum hanc legem praevericatores sunt omnes, etiam qui legem scriptam non acceperunt. *Epist. 157 cap. 3.*

AEternam legem mundis animis fas est cognoscere, judicare non fas est. *lib. de ver. Relig. cap. 31.*

Cum verò idipsum dicunt omnes, et verum dicunt, ab unius veri Magistri magisterio non recedunt. *Prolog. in lib. retract.*

Illa lex, quae summa ratio nominatur, cui semper obtemperandum est, et per quam mali miseram, boni beatam vitam merentur. *lib. 1. de lib. arb.*

Habet justitia quamdam lucem suam, perfundit, et illustrat animam inhaerentem sibi: anima verò avertens se à luce justitiae in tenebrosa demergitur. *En. in Psalm. 63.*

~~Si nulla est pulcritudo justitiae, unde amatur iustus senex? Quaedam est pulcritudo justitiae, quam videntem oculo cordis, et amamus et exardescimus.~~ *En. in Psalm. 63.*

~~Qui legem non acceperunt iniqui dici possunt, praevaricatores non possunt.~~ *En. in Psalm. 69.*

Eos verò, qui legi aeternae per bonam voluntatem haerent, temporalis legis non indigere appetet. *lib. 1 de lib. arb. cap. 15.*

Lex Dei aeterna est, quam consulunt omnes piaementes, ut quod in ea invenerint, vel faciant, vel jubent, vel vetent, secundum quod illa incommutabili veritate praeceperit. *lib. 2 Quaest. in Exod. cap. 67.*

~~Lex illa quae summa ratio nominatur, cui semper obtemperandum est, et per quam mali miseram,~~

boni beatam vitam merentur. lib. 1. de lib. arb. cap. 6.

Nihil Deus jubet, quod sibi prospicit, sed illi cui jubet. Ideo verus est Dominus, qui servo non indiget, et quo servus indiget. Epist. 138 ad Marcellin. n. 6.

Qui verò non operatur, et tamen videt, quid operandum sit, ipse est qui ab illa luce avertitur, à qua tamen tangitur. lib. 14 de Trinit.

Ubinam sunt regulae immutabiles benè vivendi etiam impiis notae, ubi quid sit justum et injustus agnoscit? Omnis lex justa describitur, et in cor hominis, qui operatur justitiam. lib. 14 de Trinit.

Injustus legitimè lege utitur ut justus fiat. lib. de spirit. et litt. cap. 10.

Legis justitia est, jubere quod Deo placet, vetare quod displicet. lib. 3 cont. duas Epist. Pelag. cap. 1.

Qui legitimè lege utitur, discit in ea malum et bonum, et non confidens in virtute sua confugit ad gratiam. lib. de correpl. et grat. cap. 10.

Manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit. Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. En. in Psalm. 57.

Quod tibi non vis fieri , noli alteri facere. Judicas enim malum esse in eo , quod pati non vis : et hoc te cogit nosse lex intima , in ipso tuo corde conscripta. *En. in Psalm. 57.*

Nullus enim est qui faciat alteri injuriam , nisi qui fieri nolit sibi ; et in hoc transgreditur naturae legem , quam non sinitur ignorare , dum id quod facit , non vult pati. *En. in Psalm. 118 Serm. 25.*

Interest in ordine naturali , quid , à quo agatur , et sub quo quisque agat. *lib. 22 cont. Faust. cap. 27.*

Deus summa ista lex est. Haec illa est ineommutable veritas , quae lex omnium artium rectè dicitur , et ars omnipotentis artificis. *lib. de ver. Relig. cap. 32.*

Lex est in ratione hominis , qui utitur arbitrio libertatis naturaliter in corde conscripta , qua suggeritur , ne aliquid faciat quisque alteri , quod pati ipse non vult. *Epist. 157 ad Hilar.*

Ratio , vel mens , vel spiritus cum irrationalis animi motus regit , id scilicet dominatur in homine , cui dominatio ea lege debetur , quam aeternam vocant , et esse comperimus. *lib. 1 de lib. arb.*

Carnis concupiscentiam repugnantem legi mentis
condemna. *lib. 4 cont. duas Epist. Pelag. cap. 5.*

Ne tibi homines aliquid defuisse quaererentur,
scriptum est in tabulis, quod in cordibus non lege-
bant; non scriptum non habebant, sed legere noblebant.

En. in Psalm. 57.

Lex data est ad ostendendum quam arctis vincu-
lis constringerentur, qui de suis viribus praesumebant.

En. in Psalm. 118 Serm. 25.

Lex ostendit quid faciendum, quidve cavendum sit,
ut quod illa ostenderit voluntas impleat, ac sic homo
justificatur non per legis imperium, sed per liberum
arbitrium. *lib. de spirit. et litt. cap. 10.*

Quod operum lex minando imperat; hoc fidei lex
credendo impetrat. *lib. de spirit. et litt. cap. 13.*

Ibi in tabulis lapideis digitus Dei operatus est,
hic in cordibus hominum. Ibi lex extrinsecus posita
est, qua injusti terrorentur: hic intrinsecus data est,
qua justificarentur. *lib. de spirit. et litt. cap. 17.*

Qui legem non acceperunt inicui dici possunt, prae-
varicatores non possunt. *En. in Psalm. 69.*

ARTICULUS II.

De Praeceptis.

Nihil Deus jubet, quod sibi prossit, sed illi cui
jubet. *ad Marcellin. Epist. 138.*

Non est ergo unde se homo Dominum habere co-
gitaret atque sentiret, nisi aliquid ei juberetur. *lib. 8
de Genes. ad litt. cap. 6.*

Cum praecepta Domini fecerimus, servi non eri-
mus: Ergo non erimus servi serviendo. *Tract. 85 in
Joan, Evang. cap. 15.*

Praecepta Dei frustra custodiuntur memoria, si
non custodiantur et vita. *4 tom. 1287 = c.*

Non utiliter meditatur legem Dei, qui laborat ut me-
moria teneat, quod anima non implet. *En. in Psalm.
118.*

Saepè enim mens nitens pergere ad Dominum, et
concussa in ipso itinere trepidat. *En. in Psalm. 7.*

Magnum donum est, inter eorum verba versari quo-
tidie, et non excedere de itinere praeceptorum. *Ibidem.*

Sanus non audivit medici praeceptum ut non caderet, audiat aegrotus, ut surgat. *En. in Psalm. 67.*

Boni medici, qui nolunt vendere artem suam, et qui dant quaedam praecepta sanis, quae observando in aegritudinem non cadat. *Ibidem.*

Non est amicus recti, quando mallet, si fieri posset, id quod rectum est, non juberi. *En. in Psalm. 67.*

Ratione fit quisque praecepti capax cui fidem debet, ut id quod praecepitur, faciat. *lib. 3 de lib. arb. cap. 24.*

Saluberrima regula est retinenda, ut quae, non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, et habet aliquid ad exhortationem vitae melioris, ubicunque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando et imitando sectemur. *Ad inquisit. Januar. lib. 2 Epist. 45.*

ARTICULUS III.

De Lege positiva à Legislatoribus constituta.

Conditor legum temporalium, si vir bonus est, et

sapiens , illam ipsam consulit aeternam , de qua nulli animae datum est judicare. *lib. de ver. Relig.* 31.

Non licet judici de legibus institutis judicare , sed secundum ipsas. *Ibidem.*

Lex mihi esse non videtur , quae justa non fuerit. *lib. 1 de lib. arb. cap. 5.*

Instituta hominum , quae ad societatem conviventium valent , pro ipsa hujus vitae necessitate non negligent. *lib. 2 de Doct. Christ. cap. 39.*

Lex aeterna moderatrix humanarum. *lib. 1 de lib. arb. cap. 5.*

Lex temporalis quamquam justa sit commutari tamen per tempora justè potest. *De lib. arb. lib. 1.*

In quibus tenendum est. Nequid nimis , et maximè in iis , quae ad corporis sensus pertinentia , volvuntur temporibus , et continentur locis. *lib. 2 de Doct. Christ. 39.*

Quicumque autem legibus Imperatorum , quaè pro Dei veritate feruntur , obtemperare non vult , adquirit grande supplicium. *lib. ad Bonif. Epist. 185.*

Aliqua licitè commituntur , sed non Dei legibus ; in foro , non in coelo ; in lege mundi , non in lege Crea-

toris mundi. *Serm. 153 de verb. Apost. ad Rom. 7.*

Jus et injuria contraria sunt. Jus enim est quod justum est. Neque enim quod jus dicitur, jus est. Quid si aliquis condat ius iniquum? Nec jus dicendum est, si injustum est. *En. in Psalm. 145.*

Illud ergo verum jus , quod etiam justum est.
Ibidem.

Non jura dicenda sunt vel putanda iniqua hominum constituta. *lib. 19 de C. D. cap. 21.*

Falsum est quod à quibusdam non recte sentientibus, dici solet: id esse jus quod ei qui plus potest, utile est. *Ibidem.*

Jus dicitur , quod de justitiae fonte manaverit.
Ibidem.

Jura constituuntur, quae appellantur civilia , non quod hinc fiat , ut boni utentes sint, sed ut malè utentes minus molesti sint. *Ad Maced. Epist. 153.*

Tum quisque habere aliquid dicendus est , quando benè utitur. Nam quod justè non tractat , jure non tenet. Quod autem jure non tenet , si suum esse dixerit, non erit vox justi posessoris, sed impudentis incubatoris improbitas. *Serm. 50 de verb. Aggæi cap. 2.*

CAPUT X.

De actibus humanis, moralibus et liberis.

ARTICULUS I.

De actibus humanis.

Non enim valde adtendas quid homo faciat; sed quid, cum facit, respiciat. *En. in Psalm. 31.*

Interest quidem plurimum, qua caussa, quo fine, qua intentione quid fiat. *Ibidem.*

Noveris non solum officiis, sed finibus à vitiis discernendas esse virtutes: officium autem est, quod faciendum est, finis verò propter quod faciendum est. *Cont. Julian. lib. 4 cap. 3.*

Possunt aliqua bona fieri, non benè facientibus à quibus fiunt. *lib. 4 cont. Julian. Pelagian. cap. 3.*

Non actibus, sed finibus pensantur virtutum officia. *Ibidem.*

Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Non valde adtendas, quid homo faciat, sed quid cum facit adspiciat, quò lacertos optimae gubernationis dirigat. *En. in Psalm. 31.*

Si virtutes quibuscumque commodis et emolumen-tis temporalibus serviunt, verae prorsus esse non pos-sunt. *lib. 4 cont. Julian. Pelag. cap. 3.*

Cum homo facit aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. *Ibidem.*

Officium est quod faciendum est; finis verò propter quod faciendum est. *Ibidem.*

Non sit justitia labiorum, sed factorum. Si enim aliter agis, quam loqueris, bona loqueris et malè ju-dicas. *En. in Psalm. 57.*

Omne factum, si rectè factum non est, pec-catum est: nec rectè factum esse ullo modo potest, quod non à recta ratione proficiscitur. *lib. de utilit. cred. cap. 7.*

Omnium actionum humanarum mater necessitas. *En. in Psalm. 80.*

Sicut autem inter ignem et aquam tenenda est via,

ut nec exuratur homo nec demergatur; sic iter nostrum temperare debemus. *ad Eudox. cap. 48.*

Quidquid propter aliud quaeritur, non est ibi finis; quidquid propter se et gratis quaeritur, ibi est finis. *Tract. 10 in Epist. Joann. 5.*

In actione non amandus est honor in hac vita, quoniam omnia vana sub sole, sed opus ipsum, quod per eundem honorem vel potentiam fit, si recte atque utiliter fit. *lib. 19 de C. D. cap. 19.*

In omni motu actionis suae qui non respicit initium, non prospicit finem. Unde necesse est à memoria respiciente prospiciens connectatur intentio. *lib. 8 de C. D. cap. 7.*

Non ergo quid quisque faciat, sed quo animo faciat, considerandum est. Hoc enim est lumen in nobis, quia hoc nobis manifestum est bono animo nos facere quod facimus. *lib. 2 de Serm. D. in mont. sec. Maeth.*

Si autem malo animo feci, etiam ipsum lumen nebrae sint, quia non in superna dirigitur simplex intentio, sed ad inferiora declinatur. *Ibidem.*

Si intentio munda fuerit et recta, et illud adspi-

ciens quod adspiciendum est; omnia opera nostra necessere est, bona sint. *Ibidem.*

Cum boni et mali eadem faciunt, eademque patiuntur, non factis et poenis, sed caussis utique discernendi sunt. *Epist. 93 ad Rogatistam.*

Omnia opera et facta humana ante oculos hominum incertum est, quo corde fiant. *En. in Psalm 141.*

Omnis enim semita, via est; non omnis via semita est. *Tu, Domine cognovisti semitas meas.*

Peccatum non solum illud est, quod in turpi aut iniquo facto apparet hominibus; sed etiam si habeat speciem boni operis et tamen propter mercedem temporalem fiat, non propter requiem sempiternam. *Serm. 33 de vers. Psalm. 143.*

Quodlibet enim quisque facit, si hoc animo facit,
ut terrenum emolumendum consequatur, serviliter fa-
cit. *Ibidem.*

ARTICULUS II.

De virtutibus generatim.

Est virtus animis res laudabilis prudentia bona et

mala discernens, justitia sua cuique distribuens, temperantia libidines cohibens, fortitudo molestias aequanimiter sustinens.

Virtus est animi habitus naturae modo atque rationi consentaneus. *De divers. quaest. 83.*

Virtus ars benè vivendi et rectè vivendi. *lib. 4 de C. D. 21.*

Virtus creaturae rationalis conversio ejus ad incommutabile bonum. Aversio ejus vitium ejus, et conversio ejus virtus ejus. *Ad Honorat. Epist. 140.*

Virtus est frui fruendis, et utendis uti. *De divers. quaest. 83.*

Virtutes à vitiis non officiis, sed finibus discernuntur. Virtus perpetua bella cum vitiis agit, non ut haec vita careat miseriis, sed ut spe futuri soeculi sit beata *lib. 19 de C. D. cap. 4.*

Virtus bene utitur et seipsa, et caeteris bonis, quae faciunt hominem beatum. *lib. 19 de C. D. cap. 26.*

Omnia quippe agenda complectitur virtus, omnia optanda felicitas. *lib. 4 de C. D. cap. 21.*

Ipsa est utilis virtus, quae non militat typho, sed Deo. *Serm. 285.*

Ubi non est virtus sunt quaedam refugia , quò quisque cum refugerit , magis infirmatur , quam confirmatur. *En. in Psalm. 45.*

Non est hujus vitae justitia , vitium non habere ; sed vitia non eis consentiendo minuere , eisque resistendo temperanter et justè et piè vivere. *lib. 6 oper. imperf. de cont. Julian. 9.*

Virtutes à vitiis non officiis , sed finibus discernuntur. *lib. 4 cont. Julian. Pelag cap. 3.*

Cum autem cooperit tibi displicere , quod fecisti , inde incipiunt opera tua , quia accusas mala opera tua. *Tract. 13 in Joann. Evang. cap. 3.*

Quae est virginitas mentis ? integra fides , solida spes , sincera caritas. *Tract. in Joann. Evang. cap. 3.*

Illa est humanarum rerum scientia , quae novit lumen prudentiae , fortitudinis robur , temperantiae decus , justitiae sanctitatem. *Cont. Acad. lib. 2 cap. 7.*

Non virtus animi tui te facit beatum , sed qui tibi virtutem dedit , qui tibi velle inspiravit , et posse donavit. *Serm. 151 de verb. Apost. Raman. 7.*

Etsi videatur animus corpori , et ratio vitiis laudabiliter imperare , si Deo animus et ratio ipsa non

servit, nullo modo corpori vitiisque recte imperat. lib.

19 de C. D. cap. 25.

Via virtus est, qua nititur tamquam ad posessionis finem, id est ad gloriam, honorem et imperium.

lib. 5 de C. D. cap. 12

ARTICULUS III.

De officiis Gentilium Philosophorum virtutum imagines praferentibus.

Qui exhibuerunt terrenae patriae Babylonicae dilectionem, et virtute civili, non vera; sed verisimi-

li Doemonibus vel humanae gloriae servierunt. lib. 4
cont. Julian. Pelag.

Non erat in leis vera justitia; quia non actibus, sed finibus pensantur officia. Ibidem.

Praedictae virtutes, cum ad se ipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatae ac superbae sunt; et ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt. lib. 19 de C. D. cap. 25.

Plures Paganorum, qui excepto Dei cultu, in quo

erraverunt, colentes vana, in caeteris moribus parcimoniae, continentiae, castitatis, sobrietatis, mortis pro patriae salute contemtus, servatae que fidei non solum civibus, verum et hostibus, imitandi verò propoununtur. Quae omnia quando non referuntur ad finem rectae verae que pietatis, sed ad fastum inanem humanae laudis et gloriae, etiam ipsa inanescunt, quodam modo sterilia sunt, et redduntur. Aliter se habet sensus humanus, aliter justitia Creatoris. *lib. 19 de C. D. cap. 25.*

Cato quò minus petebat gloriam, eò illum magis sequebatur. Quando quidem gloria est, cuius illi cupiditate flagrabant. Ideo melior est virtus quae humano testimonio contenta non est, nisi conscientiae suae. *lib. 5 de C. D. cap. 12.*

Antiqui Romani custodierunt quamdam sui generis probitatem, quae posset terrenae civitatis constituedae, augendae, conservandae que sufficere. *Epist. 138.*

Deus ostendit in opulentissimo et praedclaro imperio Romanorum, quantum valèrent civiles etiam virtutes sine vera religione, ut intelligeretur, hac addita, fieri homines cives alterius Civitatis, cuius Rex ve-

ritas, cuius lex caritas, cuius modus aeternitas. *Epist.*

138 ad Marcellim.

ARTICULUS IV.

De vitiis generatim seu de peccatis.

Peccatum est voluntas admitendi, vel retinendi quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere. Quamquam si liberum non est, nec voluntas dici potest. *lib. 1 oper. imperf. cont. Julian.*

Peccatum est legis transgresio. *lib. 2 de consens. Evang.*

Peccatum est aversio ab aeternis et conversio ad mutabilia. Peccatum et recte factum in libero est voluntatis arbitrio. *Ibidem.*

Omne crimen, facinus et peccatum nostrae est negligentiae, et omnis virtus et sanctitas, Dei est indulgentiae. *Serm. 101. De verb. Evang. Luc. cap. 10.*

Vitium quo resistunt Deo, qui ejus appellantur inimici non est Deo, sed ipsis malum. *lib. 12 de C. D. cap. 1.*

Qui peccat peior est si laetatur in damno aequitatis *lib. 19 de C. D. cap. 13.*

Ab hac lue virtutis defectus quidam non perimens animam, sed obscurans vitium vocatur. *lib. de duab. animab. cont. Manich. cap. 6.*

Quae enim sunt levia, quae gravia peccata non humano, sed divino sunt pensanda judicio. *Enchirid. de fid. spe et carit.*

Minuta peccata si negligantur occidunt. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens. *Tract. 13 in Joann. Evang. cap. 3.*

Lex enim peccati est violentia consuetudinis, qua trahitur, et tenetur etiam invitus animus, eo merito, quo in eam volens illabitur. *lib. 8 Confess. cap. 5.*

Aliud est peccare, aliud peccandi consuetudinem facere. Qui peccat et continuo corrigitur citò reviviscit. *Tract. 49. in Joann. Evang. cap. 11.*

Sicut merito peccati tamquam stipendum redditur mors, ita merito justitiae tamquam stipendum vita aeterna. *Ad Sixt. Epist. 194.*

Peccata si desint tantò superior est homo; quantum autem plura adsunt, tanto est inferior. *En. in Psalm. 65.*

Qui peccat quotidie, etiam si non magna peccata, minutissimis spinis coopertus est. *En. in Psalm. 102.*

Congere minuta et faciunt ingentem acervum. *En. in Psalm. 29.*

Longè te à Deo non facit, nisi iniquitas sola. Dejice medium parietem peccati, et cum illo es quem rogas. *En. in Psalm. 137.*

Et spes et desperatio timenda est in peccatis. Desperat, ut peccet; sperat, ut peccet. Utrumque metuendum est, utrumque periculosum. Vae à desperatione: vae à perversa spe. *En. in Psalm. 144.*

Non numquam apertissima vitia aliis vitiis vincuntur occultis, quae putantur esse virtutes, in quibus regnat superbia, et quedam sibi placendi altitudo ruinosa. *lib. de C. D. cap. 16.*

Neque ex Deo sunt peccata, quae naturam non servant, sed vitiant. *lib. de natur. Boni advers. Manich. cap. 18.*

Corruptio rectitudinis pravitas; corruptio ordinis perversitas; corruptio integritatis dissensio, aut fractura aut diminutio. *Cont. Epist. Manich. cap. 35.*

Corruptio peritiae animae imperitia vocatur; cor-

ruptio imprudentis imprudentia; corruptio justae, in-
justitia; corruptio fortis, ignavia, corruptio quietae et
tranquilae, cupiditas, vel motus, vel tristitia, vel jac-
tantia. *Contr. Manich. Epist. cap. 35.*

Nolunt homines facere quod justum est, sive quia
latet, sive quia non delectat an justum sit. *lib. 2 de
peccat. merit. et remiss. cap. 13.*

Ignorantia igitur et infirmitas vitia sunt, quae im-
pediunt voluntatem ne moveatur ad faciendum opus
bonum, vel ab opere malo abstinendum. *lib. de pec-
cat. merit. et remiss. cap. 13.*

Vitium vero quod ista naturalia bona contenebat
et infirmat, ex originali peccato. *De nat. et grat. cont.
Pelag. cap. 1.*

Omnibus virtutibus non solum sunt vitia manifes-
ta discretione contraria, sicut prudentialia temeritas, ve-
rum etiam quodam modo, nec veritate, sed quadam
specie fallente, similia. *lib. 4 cont. Julian. Pelag.
cap. 3.*

Quis porro volens caecus est corde, cum velit ne-
mo esse vel corpore. *lib. 4 cont. Julian. Pelag. cap. 47.*

Si autem cum vitiis carnalibus in te ipso bellum

non geris , erubesce. lib. 4 cont. Julian. Pelag. cap. 106.

Aliud est peccare in moribus , quibus rectè vivitur , quod vel legibus solet vel divino judicio vindicari ; aliud est peccare in artibus , sive honestae sive turpes , quae peccata non divina vel reprehenduntur lege , vel severitate plectuntur. lib. 6 oper. imperf. cont. Julian. cap. 9.

In voluntate cujusque est utrum tenebrae sit , an lux. lib. annot. in Job.

Nec peccatum esset peccatum si non esset voluntarium. Peccati prima caussa sola est voluntas. lib. 1 Retract. cap. 13.

Liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periiit , ut per liberum arbitrium peccant maxime omnes , qui cum delectatione peccant , et amore peccati , et hoc eis placet , quod eos libet. Oper. imperf. cont. Julian. lib. 1.

Peccatum est , cum vel non est caritas , quae esse debet , vel minor est , quam debet , sive hoc voluntate vitari possit , sive non possit , quia si potest praesens voluntas hoc facit , si autem non potest , praeteri-

ta voluntas hoc fecit. *De perfect. Just. cap. 6.*

Ergo voluntas praeterita seu virtualis sufficit ad peccatum. *Ibidem.*

ARTICULUS V.

De Malitia hominum in actibus humanis et moralibus.

Quid est malitia nisi nocendi amor? Malitia male delectatur alieno. *Serm. 353.*

Malitia vitium est contra naturam, ut non possit nisi nocere naturae. *lib. 11 de C. D. cap. 17.*

Malitia hominum cupiditatem nocendi potest propriam habere: potestatem autem si ille non dat, non habet. *En. 3 in Psalm. 32.*

Pravitas sibi connexa ducitur in longum, et non cogitat procidere quod malè texuit; sed addere, producere, et in longum pretendere. *En. in Psalm. 40.*

Quantò minus intenti sunt in peccata sua, tantò curiosiores sunt in aliena. Quaerunt non quid corrigant, sed quid mordeant, et cum se non possint excusare; parati sunt alios accusare. *Serm. 19.*

Malitia quippe est et malignitas velut de alieno peccato gloriari , quasi tum debeat de justitia sua quisque gaudere , cum alium justum esse non conspexerit.
lib. 3 cont. Epist. Parmeniani.

Angustias patitur omnis malitia. *En. in Psalm. 100.*

Ista profunditas est malitiae ; ut nollent inyenire et odisse. De hominibus malis exercet nos Deus , et de illorum insecurionibus nos erudit. De malitia mali flagellatur bonus , et de servo emmendatur filius. *En. in Psalm. 94.*

Quid est malitia , nisi nocendi amor ? Serm. 313.

Litigare vis cum inimico tuo , prius litiga cum corde tuo. *Serm. 50.*

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

*De virtutibus et de earum officiis quibus efficiuntur
homines coelestis ac terrenae civitatis optimi
Cives; ac de peccatis caritati oppositis.*

ARTICULUS I.

De dilectione erga Deum.

Hic Ethica, quoniam vita bona et honesta non aliunde formatur, quam cum ea quae diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur: hoc est, Deus et proximus. *Epist. 137 ad Volus.*

Ubi caritas est , quid est quod possit deesse?
Ubi autem non est , quid est , quod possit , prodesse?

Tract. 85 in Joann. Evang. cap. 15.

Disciplina caritatis , fratres mei , robur , flores ,
fructus , pulcritudo , amenitas , pastus , potus , cibus ,
amplexus sine satietate est . Si sic nos delectat pere-
grinos , in patria quomodo gaudebimus ? *Tract. 8 in
Epist. Joann. cap. 4.*

Cum exhauseris cor tuum amore terreno , hauries
amorem divinum , et incipit habitare jam caritas de
qua nihil mali potest procedere . *Tract. 2 in Epist.
Joann. cap. 2.*

Tantò magis nobis , et melius est , quantò magis
in illud imus , quo nihil melius est . Imus autem non
ambulando sed amando . *Epist. 155 ad Maced.*

Viles cat mundus , ametur , à quo factus est mun-
dus . *Serm. 378.*

Animus velut pondere amore fertur , quocumque
fertur . Jubemur itaque detrahere de pondere cupiditi-
tatis , quod accedat ad pondus caritatis . Plenitudo le-
gis est caritas . *Epist. 157 ad Hilar.*

Quanta est caritas , quae si desit , frustra haben-

tur caetera: si adsit, recte habentur omnia. *Tract. 6 in Joann. cap. 2.*

Caritas Dei non vult quod vindicet invenire.
Epist. 21 ad Santimoniales.

Ama, persevera in amando: non fraudabit amo-rem tuum qui mundavi cor tuum. *Tract. 21 in Joann. cap. 5.*

Qui noluit servire caritati, necesse est ut serviat iniquitati. *En. in Psalm. 18.*

Qui fecit omnia, melior est omnibus; qui fortia, fortior est, qui magna major est: quidquid amaveris, ille tibi erit. *En. in Psalm. 42.*

Disce amare in creatura creatorum, et in factura factorem: ne teneat te, quod ab illo factum est, ut amittas eum a quo ipse factus es. *En. in Psalm. 39.*

Ad omne recte factum amor et timor ducit: ad omne peccatum amor et timor dicitur. Sicut omnia jus-ta opera bono timore et bono amore fiunt, sic malo amore et malo timore omnia peccata commituntur. *En. in Psalm. 79.*

Libera servitus apud Dominum, libera servitus, ubi non necessitas, sed caritas servit. *En. in Psalm. 99.*

Ut sciamus diligere Deum , sciendus est Deus. *En.*
in Psalm. 118 Serm. 7.

Quantò magis regnat in quocumque caritas Dei,
 tanto minus ei dominatur iniquitas. *En. in Psalm. 118.*

Omnia enim saeva et immania , prorsus facilia,
 et prope nulla efficit amor: quae dura sunt laboranti-
 bus , eisdem mitescunt amantibus. *Serm. 70.*

Caritas te gignat , caritas nutriat , caritas perficiat,
 caritas roboret. *Serm. 142.*

Amor mundi adulterat animam , amor fabricato-
 ris mundi castificat animam. *Serm. 142.*

Caritas in adversitatibus tolerat , in prosperitati-
 bus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis ope-
 ribus hilaris , in tentatione tutissima , in hospitalitate
 latissima , inter fratres patientissima, inter fratres ve-
 ros laetissima. *Serm. 349.*

Caritas si nata est, latendo crescit , crescendo per-
 ficitur , perfecta permanebit. *Serm. 156.*

Incipiat homo amare Deum et non amabit in ho-
 mine nisi Deum. *Serm. 385.*

Non enim fructus est bonus , qui de caritatis ra-
 dice non surgit. *lib. de spirit. et litt. cap. 7.*

Id enim diligit, ad quod diligendum et percipien-
dum quanto plures venerint, tanto eis uberior gratu-
latur. *lib. de vera Relig. cap. 46.*

Quantò enim sunt, caritati futura meliora, tantò
sunt infirmitate violentiora praesentia. *Epist. ad Anast.*

Episcop. 145.

Ad eum qui ubique praesens est, et ubique totus
non pedibus ire licet, sed moribus. Nec faciunt bonos
vel malos mores, nisi boni et mali amores. *Epist. 155*
ad Maced.

Meliores sunt, quos dirigit amor; sed plures sunt
quos corrigit timor. *De correct. Donast. lib. ad Bos-
nif. Epist. 185.*

Si malè amaveris tunc odisti: si benè oderis tunc
amasti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant
amando. *Tract. 51 in Joann. Evang. cap. 12.*

Non recusetur labor, si adest amor: nostis, quo-
niā qui amant non laborant. Omnis labor non aman-
tibus gravis est. *Tract. 48 in Joann. Evang. cap. 10.*

Dele quod fecisti, ut Deus salvet quod fecit. Opor-
tet ut oderis in te opus tuum, et ames in te opus Dei.
Tract. in Joann. Evang. cap. 3.

In tantum Deum diligimus, in quantum ejus precepta servamus; in quantum minus servamus, minus diligimus. *Tract. 67 in Joann. Evang. cap. 14.*

Quid autem diligendo diligitur, si ipsa dilectio non diligitur? *En. in Psalm. 118 Serm. 7.*

Fortitudinem Christianorum Dei caritas facit. *lib. 1 oper. imperf. cont. Julian. 84.*

Merguntur homines pondere et terrenis affectibus, et emergunt caritatis subelevatione, et Spiritu Sanctitatis. *lib. 13 Confess. cap. 7.*

Quod vis invenire in vitam aeternam, multum ama. Quod amas ad tempus, quid prodest? Aut amator perit, aut quod amatur non est amandum. *Serm. 368.*

Discamus amare animas nostras. Omnis voluptas soeculi transitoria est. Et amor utilis, et amor noxious: amor amore impeditur. *Serm. 368.*

Sarcina passionum quae infirmitati gravis est, levius efficitur caritati. *lib. de grat. et lib. arb. cap. 16.*

Qui terrenorum amore obstringitur, non possidet, sed possidetur. *En. in Psalm. 48.*

Non est in carendo difficultas, nisi cum est in habendo cupiditas: et ideo id solum recte diligitur,

quod numquam benè amittitur. *lib. 3 de doct. Chist. cap. 37.*

Praecipit ut habeatur caritas: corripit, quia non habetur caritas: orat ut abundet caritas. O homo, in praceptione cognoce quid debeas habere, in correptione cognosce te vitio tuo non habere, in oratione cognosce unde aceipias quod vis habere. *lib. de corrept. et grat. cap. 3.*

Talis est quisquis qualis est ejus dilectio. Terram diligis? Quid dicam? Terra eris. Deum diligis? Quid dicam? Deus eris. Non audeo dicere ex me, scripturas audiamus. Ego dixi: Dii estis vos. *Tract. 2 in Epist. Joann. cap. 2.*

Pondus meum amor meus, eò feror quocumque feror. Dono tuo accendimur, et sursum ferimur. Inardescimus, et imus. Igne tuo inardescimus, et imus, quoniam sursum imus ad pacem Jerusalem. Ibi nos collocavit voluntas bona, ut nihil velimus aliud, quam permanere illic in aeternum. *lib. 13 Conf. cap. 9.*

Titubante fide, languescit caritas. *lib. 1 Confens. Evang. cap. 16.*

Purga amore tuum: aquam fluentem in cloacam,

converte ad hortum: quales impetus habebat ad mundum , tales habeat ad Artificem mundi: amate , sed quid ametis , videte. *En. in Psalm. 31.*

In laude confitentis est praedicatio: in cantico amantis affectio. *En. in Psalm. 21.*

Ne viator tendens ad Patriam , stabulum amet pro domo sua, docetur amare meliora per amaritudinem inferiorem. *Ennarr. in Psalm. 4.*

Quis enim veraciter laudat , nisi qui sinceriter amat? Porro pietas cultus est; nec colitur ille nisi amando. *Epist. 138 ad Marcell.*

Dilige , et quod vis fac: sive taceas , dilectione taceas ; sive clamis , dilectione clamis ; sive emendes dilectione emendes; sive parcas dilectione parcas : radix sit intus dilectionis, non potest de ista radice nisi bonum existere. *Tract. 8 in Epist. Joann. cap. 4.*

Peccare timet caritas , etiam si sequatur impunitas *En. in Psalm. 118 Serm. 22.*

ARTICULUS II.

De dilectione erga proximum.

Non enim proximum diligis tamquam te ipsum si non ad id bonum ad quod ipse tendis adducere sat agis. Ex hoc praecepto nascuntur officia societatis humanae, in quibus non errare difficile est. *lib. de morib. Eccl. cap. 26.*

Magis enim inhumanum est non amare in homine quod homo est, sed amare quod filius est: hoc est non in eo amare illud quod ad Deum pertinet, sed amare quod ad se pertinet. *lib. de ver. Relig. cap. 46.*

Omnis sub uno Deo patre sunt cognati, qui eum diligunt et faciunt voluntatem ipsius, et invicem ibi sunt, et patres cum sibi consulunt, et filii cum sibi obtemperant, et fratres maximè quia eos unus Pater ad unam haereditatem vocat. *lib. de ver. Relig. cap. 47.*

Erga neminem operandum est malum. Et qui phreneticum ligat, et qui lethargicum excitat, ambobus modestus, ambos amat. *Epist. 93.*

Non praetermittas orare pro nobis. Gratior est Deo

pro fratre deprecatio, ubi sacrificium caritatis offertur.

Epist. 20.

Ipsa quoque dilectio exigit debitum, ut fraternalē caritati servientes, eum qui se adjuvari rectē velit, in quo possumus adjuvemus. *Epist. 110 ad Sever.*

Facile est atque proelive malos odisse, quia mali sunt: rarum autem et pium eosdem ipsos diligere, quia homines sunt, ut in uno simul et culpam improbes, et naturam approves. *Epist. 153.*

Ubi caritas non est, non potest esse iustitia: dilectio enim proximi malum non operatur. Quam si haberent non dilaniarent corpus Christi, quod est ecclesia *lib. 1 de Serm. Dom. in mont. cap. 3.*

Noli in homine amare errorem, sed hominem; hominem enim Deus fecit; errorem ipse homo facit. *Tract.*

8 in Epist. Joann. cap. 4.

Amor saevit, caritas saevit: saevit quodam modo sine felle, more columbino, non corvino. Dilectio dulce verbum, sed dulcius factum. *Tract. 8 in Iohn. Epist. cap. 4.*

Nihil sic probat spiritalem virum, quam peccati alieni tractatio, cum liberationem ejus potias quam

insultationem, potiusque auxilia quam conviccia meditatur, et quantum facultas tribuitur, suscipit. *In Epist. ad Galat. cap. 5.*

In omnibus operibus benefica sit dilectio proximi: praestando indigenti, promerebimur abundantem.

Serm. 93.

Innocens est qui nulli nocet: dilectionis proximi regula ab ipso est. Quomodo in te salva est dilectio proximi, quando dilectio tui per intemperantiam vulneratur. *Serm. 278.*

Sic diligendi sunt homines, ut eorum non diligentur errores. *En. in Psalm. 100 v.º 5.*

Homines bonos imitare, malos tolera, omnes am: quoniam nescis quid cras futurus sit, qui hodie malus est. *lib. de catechi. rud.*

Ibi gratiior amor est, ubi non estuat indigentiae siccitate, sed ubertate beneficentiae profluit. *De catechi. rud.*

Nimis durus est animus, qui dilectionem si nol: bat impendere, nolit rependere. *Ibidem.*

Caritatis unitas preponenda est terrenae commo: do haereditatis. *Serm. 356.*

Nemo est qui non se amet , sed rectus amor quae-
rendus , perversus cavendus . *Serm.* 330.

Malos autem amores detestantur omnes leges hu-
manae et divinae . *Serm.* 385.

Liceat vobis humana caritate diligere conjuges , di-
ligere filios , diligere amicos vestros , diligere cives ves-
tros . Omnia ista nomina habent necessitudinis vincu-
lum et gluten quodam modo caritatis . *Serm.* 349.

Quod amas in terra impedimentum est ; quan-
tò magis delectat , tantò fortius strangulat . *Serm.* 311.

Quem quisque diligit , etiam cum eum videt , si-
ne fastidio semper vult , semperque quaerit esse pre-
sentem ; ut amore crescente inquisitio crescat inventi.

En. in Psalm. 104.

Quis est benignus , nisi diligit cui opitulatur ? Quis
ab eo continet unde turpatur , nisi diligit unde hones-
tatur ? *Tract.* 87 in *Joann.* *Evang.* cap. 15.

Diligere proximum tamquam seipsum , prius debet
diligendo Deum , diligere seipsum . *En. in Psalm.* 118.

Nulla major ad amorem invitatio , quam praeve-
nire amando . *lib. de cathech.* *rud.*

ARTICULUS III.

*De dilectione inimicorum.**De vita pura et pietate. Tercia pars. Tercia*

Erga neminem operandum est malum. Diligamus ergo, ut praeceptum est, etiam inimicos nostros, si verè invicti esse volumus. *lib. de ver. Relig.* 46.

Homo justus magis cupit inimicum suum corrigi, quam puniri. *En. in Psalm.* 78.

Sic ergo inimicus diligatur, ut non displiceat iustitia qua punitur, ut non de malo ejus, sed de bono judice gaudeatur. *En. in Psalm.* 78.

Caritas etsi irascitur aliquando, ut corrigat, non tenetur rea; quia non inveteravit ira, ut vertatur in odium. *En. in Psalm.* 103. *Serm.* 3.

Si servaveris adversario tuo bonam voluntatem, et cum eo consenseris: pro iudice invenies patrem, pro ministro saevo Angelum tollentem in sinum Abrahae, pro carcere paradisum. *Serm.* 109.

Quid tan benignum, quam inimicos diligere? Caritas sola est, quam felicitas aliena non premit, quia non aemulatur. *Serm.* 350.

Haec caritas inter oprobria secura est , inter odia benefica est , inter iras placida est , inter insidias innocens est , inter iniurias gemens , in veritate respirans. *Serm. 351.*

Amor tantum dilatatus est , tantum crescit , ut à conjuge ad filios , à filiis ad propinquos , à propinquis ad extraneos , ab extraneis ad inimicos perveniat. *Serm. 387.*

Minus enim magnum est erga cum esse benevolum , sive beneficium , qui tibi mali nihil fecerit ; illud multò grandius et magnificentissimae bonitatis est , ut tuum quoque inimicum diligas , et ei qui tibi malum vult , tu bonum semper velis , facias que cum possis. *Enchirid. de fide &c. 80.*

Si autem non dimisseritis hominibus , nec Pater vester dimitte peccata vestra. Ad tam magnum tonitruum qui non ex pergiscitur ; non dormit , sed mortuus est. Ibidem.

Quoniam Deus caritas est , per caritatem fit ut quod habent singuli commune sit omnibus. Non erit itaque aliqua invidia imparis claritatis , quoniam regnabit in omnibus unitas caritatis. *Tract. 67 in Joann.*

Evang. cap. 14.

ARTICULUS IV.

De vitiis seu de peccatis caritati oppositis.

De Invidia.

Quid est invidia, nisi odium felicitatis alienae.

Serm. 354.

Si invides justo, res in voluntate est: esto quod doles esse alterum. *En. in Psalm. 129.*

Si non esset claritudo sanctorum, invidia non surgeret impiorum. *Serm. 273.*

Nullius enim invidus, ut alterum laedat, non si bi prior ipse tormento est. *Cont. Secundin. Manich. cap. 10.*

Quid miserius invidentia? Si beati sunt invident nemini. *lib. 9 de C. D. cap. 14.*

Melius est ut homo nos vincat, quam invidentia, vel quodlibet aliud vitium. *lib. de ver. Relig. cap. 45.*

Quare invides justo, o homo injuste? Cito fac qod melius est, et facilius eris quod vis videri: esto jus-

tus, ita diliges cui invidebas. *En. in Psalm. 139.*

Invidentia Deo odibilis. Hoc peccatum maximè arguit Deus, tristitiam de alterius bonitate. *lib. 15 de C. D. cap. 7.*

Qui ergo amat id solum quod amanti eripi non potest, ille indubitanter, invictus est, nec ulla cruciatur invidia. *lib. de ver. Relig. cap. 46.*

Invidentia bono cruciatnr alieno. Invalescente invidentiae vitio, fratrem insidiatus occidit. *lib. 15 de C. D. cap. 7.*

Ex invidia omnes seductiones, et supplantationes. Stat enim peccator, propria quadam notâ peccator quisquam superbus et invidus. *En. in Psalm. 38.*
Vicinæ enim sunt, et propter ipsam vicinitatem plerumque utrumlibet horum pro altero; vel aemulatio pro invidia, vel invidia pro aemulatione ponitur. *Expos. Epist. ad Galat. cap. 5.*

AEmulatio est dolor animi cum alijs p̄venit ad rem quam duo plures ve appetunt, et nisi ab uno haberi non potest. *Ibidem.*

Invidia verò dolor animi est, cum indignus videtur aliquis assequi, etiam quod tu non appetebas. *Ibidem.*

ARTICULUS V.

De ira.

Ira est motus animi provocans ad poenam inferendam. *En. in Psalm. 6.*

Ira est, quantum mea fert opinio turbulentus appetitus auferendi ea, quae facilitatem actionis impediunt. Hac autem facilitate vel assiduitate irascendi fel crescere etiam Medici affirmant. *Ad Nebrid. Epist. 9.*

Cremento autem fellis rursus et facile ac prope nullis causis existentibus irascimur. *Ibidem.*

Non nullis quippe impatientibus Dominus Deus quod petebant concessit iratus. *Ad Probam Epist. 130.*

Odium autem est ira inveterata, quasi quae vetustate ipsa tantum robur acceperit. *lib. 2 de Serm. Dom. in mont. cap. 19.*

Quidquid enim lacerato animo dixeris punientis est impetus, non caritas corrigentis. *In Epistolam ad Galat. 6.*

Non debemus super aliorum superbire peccata,

quando in ipsa objurgatione peccamus, cum facilius nos ira peccantis iratos, quam misericordia misericordes facit. *Ibidem.*

Quemvis ex ipsa humana conditione et infirmitate mortalitatis, quem portamus, subrepit ira Christiano, non debet diu teneri, et fieri pridiana. *En. in Psalm. 25.*

Ejice illam de corde antequam occidat lux ista visibilis, ne te deterreat lux illa invisibilis. *En. in Psalm. 26.*

Meliorum dixit Irae victorem, quam civitatis captivatorem *En. in Psalm. 92.*

Nulli irascenti ira sua videtur injusta. *Epist. 38 ad Profut.*

Ira, vide quid noceat. Agnosce inimicam tuam: agnosce cum qua pugnas in theatro pectoris tui. Ibi doma inimicam tuam. *Serm. 58 in Math. de orat. Domin.*

Non potes iram interimere, potes illam reprimere. Si fortis es, iram vince; et civitati parce. Melior est qui vincit iram, quam qui capit civitatem. *Ibidem.*

Quod erat ira, cum esset nova, odium factum est; quia in vetustatem conversum est. *Serm. 58 in Math. de orat. D.*

Cum enim videmus duos, unum irascentem, alterum patienter ferentem, quis eorum ardeat, vestrum est judicare. *En. in Psalm. 96.*

Descriptio irati hominis et alterius patienter ferentis.

Ponite vobis ante oculos hominem iniquum, commotum animo, trucem vultu, flammatibus oculis, scintillantibus verbis, ferri in hominis necem, in depraedationem, in injurias, in contumelias, non se capere, non se tenere: alterum patienter excipientem verba, plagas, quidquid ille inferre voluerit: cum videbitis hinc furias, inde lenitatem, hinc iram, inde patientiam; hinc flamas, inde tolerantiam; dubitabis pronuntiare, quis eorum ardeat poenam que patiatur? Ille ne cuius vexatur corpus, an cuius animus vastatur. *En. in Psalm. 96.*

ARTICULUS VI.

De Odio.

Neque vitiis oppressos, sed ipsa vitia; neque pec-

cantes, sed ipsa peccata oderimus. *lib. de quant. anim. cap. 34.*

Si mordetis et comedetis invicem , videte ne ab invicem consumamini. *En. in Psalm. 100.*

Depraedaris hominem, caves depraedatorem: quod facis times ne patiaris , et in eo quod pateris non te corrigis. *En. in Psalm. 38.*

Ne fortè cum vis esse praedo minoris , sis praeda majoris. Non sentis esse te in mari , nec cernis minores pisces à majoribus devorari. *Ibidem.*

Omnis qui praeparat foveam fratri suo, necesse est, ut ipse incidat in eam. *En. in Psalm. 56.*

Malevolus animus contristatur, si ejus inimicus correctus evaserit paenam: et cum puniri eum videt, vindicari se ita gaudet , ut non justitia Dei , quem non diligit: sed illius quem odit miseria delectatur. *En. in Psalmo 78.*

Omnis qui non vult videre peccata sua, se ponit post dorsum , et aliorum peccata acutè adtendit, non per diligentiam , sed per invidentiam. *En. in Psalm. 100.*

Facile est devitare apertas inimicitias, facile est

averti ab inimico prompto et manifesto. Ille difficilli-
mè devitatur, qui in labiis bona portat, et in corde
occultat mala. *En. in Psalmo 129.*

Negligens inimicitias finire obliviscitur: pertinax
non vult concedere: superbè verecundus veniam pe-
tere de dignatur. His tribus vitiis inimicitiae vivunt; sed
animas in quibus non moriuntur, occidunt. *Serm. 209.*

Quid est detestabilius, quam de malo alterius ma-
la diaboli similitudine laetari. *lib. de cath. rud.*

Inimici sunt resistendi voluntate, non potestate
haedendi. *lib. 12 de C. D. cap. 3.*

Si vellem pro maledictis maledicta rependere, quid
aliud quam duo maledicti essemus. *lib. 3 cont. litt.*
Petilian. cap. 1.

Malignitas est de alieno peccato gloriari, quasi
tunc debeat de iustitia sua quisque gaudere, cum alium
justum non conspicerit. *lib. 1 de Bapt. cont. Donat.*
cap. 1.

ARTICULUS VII.

De Calumnia.

Qui nodosas calumnias facere quaerunt, prius his

implicantur quam quos implicare contendunt. *En. in Psalm. 118.*

Neminem quaeras accusare, ne accusatorem inventias a quo te non possis defendere. *Serm. 20.*

Eo quippe est impudentior victus accusator, quod fit etiam judicis calumniator. *lib. 2 cont. litt. Petilian.*

Nec malam conscientiam sanat laudantis praecognitionem; nec bonam vulnerat conviciantis opprobrium.

Ibidem.

Calumnia, quod crimen falsum est, reum non facit hominem, nisi apud judicem hominem. *En. in Psalm. 118 Serm. 22.*

Calumnia non est nisi quando falsi criminis objectione, proximo laeditur. *Ibidem.*

Apud Deum nullus falso crimine laeditur, quia non cui objicitur, sed objicienti, potius imputatur.

En. in Psalm. 18 Serm. 30.

CAPUT SECUNDUS.

De Prudentia, Justitia, Fortitudine et Temperantia.

De vitiis oppositis.

ARTICULUS I.

Prudentia.

Prudentia est rerum bonarum et malarum neutra-
rumque scientia. *lib. de divers. quaest. 83.*

Prudentia est amor benè discernens ea quibus ad-
juvetur in Deum, ab iis quibus impediri potest. *lib.
de morib. Eccles. cap. 15.*

Prudentia est amor appetendarum et vitandarum
rerum scientia. *De lib. arb. lib. 1.*

Ad Prudentiam pertinet dignoscentia appetendorum
et vitandorum. Quae si desit, nihil eorum effici potest.

De mor. Eccles. lib. 1.

Est animae affectio vel motus quo intelligit aeterna,

et his inferiora esse temporalia, et haec appetenda potius quae superiora sunt, quam illa quae inferiora sunt, movit. lib. 6 de Musica cap. 13.

Prudentia spiritus, qua nec in temporalibus bonis spes nostra est, nec in malis timor. *Proposit. ex Epist. ad Rom. cap. 49.*

Eadem animae natura habet carnis prudentiam, cum inferiora sectatur, et prudentiam spiritus cum superiora eligit. *Ibidem.*

Facile est, immo utile, ut taceatur aliquod verum propter incapaces: ut id quod dicitur et parvulus lac, et grandibus esca sit. *De don. perseverant. cap. 16.*

Caussas verò tacendi longum esse omnes quaerere vel inserere. Quarum una tamen haec est, ne pejores faciamus eos, qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt facere doctiores. *De don. Pers. cap. 16.*

In omnibus tenendus est modus aptus humanitati, congruus caritati, ut nec totum quod potestatis est exseratur, et in eo quod exseritur, mansuetudo mostretur. *lib. 3 cont. Crescent. cap. 15.*

ARTICULUS II.

Justitia.

Eadem quippe firma et inflexibili justitia boni reguntur, mali conteruntur. *lib. de unit. Eccl. cap. 8.*

Justitia virtus est animi magna praecipueque laudabilis. *En. in Psalm. 118. Serm. 22.*

Necesse est ut oderit omnem iniquitatem amor justitiae, qui tantò major est, quantò eum magis inflammat amplioris dulcedo sapientiae. *En. in Psalm. 118 Serm. 22.*

Justitia divina quantò excelsior, tantò ab humana justitia distantior. *lib. 1 de oper. imperf. cont. Julian. 84.*

Justitia virtus est animi habitus naturae, et rationi consentaneus, quo sua cuique tribuuntur. *lib. 1 de lib. arb. cap. 13.*

Justitiae ratio non tantum quid factum sit, verum etiam quale factum sit intuetur; ut ex caussis suis facta prudentia libramento aequitatis examinet. *lib. 22 cont. Faust. cap. 43.*

AEterna lex illa ordinem naturalem conservari jubens, perturberi vetans. *lib. 22 cont. Faust. cap. 43.*

Natura jus est, quod non opinio genuit, sed quaedam innata vis inseruit. *lib. de divers. quaest. 9.*

Justitiae regulae immutabiles, etiam impiis notae. *lib. 22 cont. Faust. cap. 43.*

Inimicus justitiae est, qui poenae timore non peccat. *Epist. 145 ad Anast.*

Amant se duo ista justitia et pax, et osculantur se; ut qui fecerit justitiam, inveniat pacem osculanten tem justitiam. *En. in Psalm. 84.*

Multos quippe immeritos liberat, immeritum autem neminem damnat. *En. in Psalm. 118 Serm. 30.*

Si justitia sine misericordia proleta fuerit, inquit libet quod damnet inveniet. *En. in Psalm. 147.*

Est justitiae pulcritudo cum benignitatis gratia concordans, ut quoniam bonorum inferiorum dulcedine decepti sumus, amaritudine poenarum erudiamur. *lib. de ver. Relig. cap. 15.*

Justitia sic amanda est, ut ab ejus operibus etiam poenae corporis nos cohibere non debeant. *Epist. ad Anast.*

Non bonus est quispiam timore poenae, sed amore justitiae. Verum tamen non inutiliter etiam metu justitiae humana coercetur audacia, ut et tuta sit inter improbos innocentia, et in ipsis improbis dum formidato supplicio fraenatur facultas, invocato Deo sanetur voluntas. *Epist. ad Maced.* 153.

Non est magnum timere poenam, sed magnum est amare justitiam. Qui ergo amat justitiam, nihil timet. *Tract. in Joann. Evang. cap. 8.*

Sic Deum dilige misericordem, ut velis esse veracem: non enim misericordia potest illi auferre justitiam. *En. in Psalm. 44.*

Solet enim dici judicium pravum, quod injustum est: justitiam vero iniquam vel injustam dicere non solemus. Si enim prava et injusta erit, nec justitia jam dicenda est. *En. in Psalm. 71.*

Aliud est timere poenam; aliud est amare justitiam. *Serm. 179.*

Ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constitueri, justitiae Dei non sunt subjecti. A semetipsis eam habere confidunt. *En. in Psalm. 71.*

Dispicet inquis justitia Dei, cui si subjicerentur,

non conturbarentur. *lib. 7 Confess. cap. 16.*

Perfecta igitur hujus vitae justitia facit meritum: perfectissima futurae vitae fit premium. *lib. 3 cont. duas Epist. Pelag. cap. 7.*

Habent delectationem suam divitiae. Sed plus habet delectationis justitia. *Serm. 335.*

Nec injusta Dei gratia, nec crudelis potest esse justitia. *lib. 12 de C. D. cap. 27.*

Sicut est aliquando misericordia puniens, ita est crudelitas parcens. *ad Maced. Epist. 153.*

Merito malus punitur affectus, etiam cui non succedit effectus. *lib. 16 de C. D. cap. 4.*

Vana est iniq[ue]itas, nihil est iniq[ue]itas, potens non est nisi justitia. *En. in Psalm. 61.*

ARTICULUS III.

Fortitudo.

Fortitudo, amor facile tolerans omnia propter quod amatur. *lib. de mor. Eccles. cap. 15.*

Sunt in hominibus quidam fortis reprehensibili fortitudine, qui praesumunt quidem, sed temporali

felicitate. Si intelligantur qui sunt fortes, primò ipsum Diabolum Dominus forte dixit. *En. in Psalm. 58.*

Insinuandum est qui sunt fortes insurgenter: Fortes, super quos, nisi super infirmos, super invalidos, super non fortes?:: Fortitudo ista non sanitatis est, sed insaniae. Nam ut et phreneticis nihil fortius, valentiores sunt sanis: sed quantò majores vires tantò mors vicinior. *En. in Psalm. 58.*

Sed illi viderint quam fortes sint immanitate febris, non firmitate sanitatis. *Ibidem.*

Omnis autem fortitudo in humilitate; quia fragilis est omnis superbia. *Ibidem.*

Si pertinacia insuperabiles vires habere conatur, quantas deceat habere constantiam, quae in eo bono, quod perseveranter atque infatigabiliter agit; et Deo placere se novit, et proculdubio non potest hominibus prudentibus displicere. *Epist. ad Faut. 89.*

Fortitudo est periculorum considerata susceptio, et laborum perpessio. Ejus partes Magnificentia, fidentia, patientia, perseverantia. *De divers. quaest. 31.*

Fortitudo dicitur qua omnia molesta toleramus. *En. in Psalm. 83.*

Fortitudo est animi affectio, qua omnia incommoda et damna rerum in nostra potestate constitutarum contemnimus. *lib. de lib. arb.*

Illa virtus, cuius nomen est fortitudo, in quantumque sapientia evidentissima testis est humanorum malorum, quae compellitur patientia tolerare. *lib. 19 de C. D. cap. 4.*

Omnis altitudo extollens se adversus Deum factis Christi et Christianorum contremuit, succubuit, et fluit sicut cera à facie Christi. *En. in Psalm. 96.*

Ubi est altitudo Potestatum? Complanata est omnis altitudo, commota fulgoribus de illis nubibus erumpentibus. Quae sunt nubes Dei? Predicatores veritatis. Exarserunt homines credentes in eum, acceperunt flamam Caritatis, incenderunt in circuitu inimicos ejus. *En. in Psalm. 96.*

Sicut constantia est virtus, cui contraria est inconstantia: vitium tamen ei quasi finitimum pertinacia, quae constantiam videtur imitari. *lib. 4 cont. Julian. Pelag. cap. 3.*

Qui vera virtute fortis est, nec temerè audet, nee inconsultè timet. *lib. ad Hieronim. Epist. 167.*

Fortitudo Christianorum ex caritate; gentilium ex cupiditate. *En. in Psalm. 31.*

Fortitudo, si hominis est, et non Dei, duritia est. Nolite vobis tribuere fortitudinem. *En. in Psalm. 104.*

Actio pia est in hac vita Deum colere, et ejus gratia contra vitia interna pugnare, eisque ad illicita cogentibus, intrigantibusque non cedere, atque ut non cedatur adjutorium Dei affectu religiosae pietatis exposcere. *lib. 1 oper. imperf.*

Ignis de coelo benè intelligitur ipsa firmitas Sanctorum, qua non cessuri sunt saevientibus, ut eorum faciant voluntatem. *lib. 20 de C. D. cap. 12.*

Sicut constantia non sinit hominem depravari, sic pertinacia non sinit corrigi; proinde sicut illa laudanda, sic ista emendanda. *Ad Pamach. Epist. 58.*

§ Fortitudinis partes sunt

Magnificentia, Fidentia Perseverantia et Patientia.

ARTICULUS IV.

Magnificentia.

Magnificentia est rerum magnarum et excelsarum cum animi ampla quadam et splendida propositione agitatio atque administratio. *De divers. quaest.*

Haec est magnificentia Domini justificatio peccatoris. *En. in Psalm. 110.*

Tu jam quaerebas magnificentiam prius dilige sanctitatem; cum sanctificatus fueris, eris et magnificus.

En. in Psalm. 95.

Magnificamus Deum non faciendo ut magnus sit; sed laudando, et magnum fatendo. *En. in Psalm. 95.*

ARTICULUS V.

Fidentia.

Fidentia est per quam magnis et honestis in re-

bus multum ipse animus in se fiduciae certa cum spe collocavit. *De divers. quaest.*

Protegitur Imperator scutatis et non timet, protegitur à mortalibus mortalis et securus est. Protegitur ab immortali mortalis, et timebit? et trepidabit? *Ibidem.*

ARTICULUS VI.

Perseverantia.

Perseverantia est in ratione benè considerata stabilis et perpetua permansio. *De divers. quaest.*

Propter periculum Deus perseveraturis etiam non perseveraturos admiscet. *lib. de corresp. et grat.*

Unicuique virtuti finitimum vitium reperietur, aut certo jam nomine appellatum, ut pertinacia quae perseverantiae finitima est. *lib. de divers. quaest. 83.*

ARTICULUS VII.

Patientia.

Patientia est honestatis aut utilitatis caussa rerum

arduarum ad difficultum voluntaria ac diuturna per-
pessio. *lib. de divers. quaest.* 31.

Impatientes dum mala pati nolunt, non efficiunt,
ut à malis eruantur, sed ut mala graviora patientur.
lib. de patient. cap. 6.

Patientia hominis, quae recta est atque laudabilis,
et vocabulo digna virtutis ea prohibetur, quae aequo
animo toleramus mala, ne animo iniquo bona desera-
mus, per quae ad meliora perveniamus. *lib. de patient.*
cap. 1.

Cum videris quemquam patienter aliquid pati,
noli continuo laudare patientiam, quam non ostendit
ni causa patiënti. Quando illa bona est, tunc ista ve-
ra est: quando illa non polluitur. *cont. Crescent.*
cap. 15.

Cupiditate, tunc à falsitate ista distinguitur. Cum
vero illa tenetur in crimine, tunc hujus multum er-
ratur in nomine. *lib. de patient. cap. 6.*

Quamquam virtus sit animae, partim tamen ea uti-
tur animus in se ipso, partim vero in corpore suo.
Oportet enim patienter ferri quod festinanter non opor-
tet auferri. *Ibidem cap. 9.*

Pro apertis sceleribus, non ut ea puniant, sed ut perpetrent, multa homines gravissima perferunt. Vis desideriorum facit tolerantiam laborum et dolorum: et nemo nisi pro eo quod delectat, sponte suscepit ferre quod cruciat. *lib. de patient. cap. 5.*

Non omnes qui patiuntur sunt participes patientiae; sed qui passione rectè utuntur, hi patientiae veritate laudantur, hi patientiae munere coronantur. *Ibidem cap. 6.*

Melior est tristitia iniquà patientis, quam laetitia iniqua facientis: ipsa laetitia iniqua facientis, ipsa est fovea. *En. in Psalm. 56.*

Patientia vera, sancta patientia, religiosa patientia, Christiana patientia Donum Dei est. *Serm. 274.*

Patientes qui mala malunt non committendo ferre, quam non ferendo committere, et leviora faciunt, quae per patientiam patiuntur, et pejora evadunt, quibus per impatientiam mergerentur. *lib. de patient. cap. 9.*

Patientia comes est sapientiae non famula concupiscentiae. Patientia amica est bonae conscientiae, non inimica innocentiae. *Ibidem.*

ARTICULUS VIII.

Temperantia.

Temperantia est affectio coërcens et cohibens appetitum ab iis rebus, quae turpiter appetuntur. *lib. 1 de lib. arb. 13.*

Temperantia dicitur qua carnis fraenantur libidines, ne inquaeque flagitia mentem consentientem trahat. *lib. 19 de C. D. cap. 4.*

Temperantia nobis amoris illius quo innectimur Deo integritatem quamdam et incorruptionem pollicetar. *lib. 1 de mor. Eccles. cap. 19.*

Ejus munus est in coërcendis sedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea, quae nos avertunt à legibus Dei, et à fructu bonitatis ejus. *lib. 1 de mor. Eccles. cap. 19.*

Ut homo jaceret aegrotus intemperantium suam habuit necessariam, ut surgeret autem, necessariam habet artificis medicinam. *En. in Psal. 98.*

non Temperantium et modestiam virtutem esse maximum judico. *lib. de beat. vit.*

Actio qua sese anima opitulante Deo , ab amore inferioris pulcritudinis extrahit , debellans atque interficiens adversus se militantem consuetudinem suam , virtus est , quae temperantia dicitur. *lib. 6 de Music.*

Temperantia est amor integrum se praebens ei quod amatur. *De morib. Eccles. cap. 15.*

Pulcrior est temperantia animi suam inscitiam confitentis quam illa quae nosse cupiebam. *lib. 5 Conf. cap. 7.*

Temperantiae nomine nonnulli Principes Romani non parvam gloriam compararunt. *lib. 4. de C.D. cap. 19.*

Temperantia est rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus animi firma et moderata dominatio. Ejus partes , continentia, clementia , modestia. *lib. de divers. quaest. 83.*

Temperantiae partes sunt

Continentia , Clementia , Modestia.

Continentia est per quam cupiditas consilii gubernatione regitur. *lib. de divers. quaest.*

Clementia per quam animi temerè in odium ali-

cujus illecti concitatique comitare retinetur. *Ibidem.*

Modestia per quam pudor honestus, claram stabilemque comparat auctoritatem. *Ibidem.*

CAPUT TERTIUM.

De caeteris virtutibus.

ARTICULUS I.

De Humilitate.

Haec aqua humilitatis in nullis alienigenarum libris est: non in Epicureis, non in Stoicis, non in Manichaeis, non in Platonicis. Ubi cumque etiam inveniuntur optima praecepta morum et disciplinae, humiliter tamen ista non invenitur. Via humilitatis hujus aliunde manat, à Christo venit. *En. in Psalm. 31.*

Si portas in fronte signum humilitatis Christi, porta in corde imitationem Christi humilitatis. Factorem quaerit Deus signorum suorum, non pictorem. *Serm. 32.*

Humilitatis piae disciplina ventosam et turbidam

cupiditatem, avidam rerum extra potestatem nostram constitutarum pellit ex animo, et quodammodo exspirat. *Epist. 127 ad Arm. et Paul.*

Quod impetrat humilis, amittit superbus. *Serm. 13.*

Humilitas claritatis est meritum; claritas humilitatis est premium. Tract. in Joann. Evang. cap. 17.

Humilis per januam intrando recipitur; superbus per aliam partem ascendendo praecipitatur. En. in Psalm. 95.

Quanto sis celsior potestate, tantò humilior fieri pietate. Ep. ad Maced. 153.

Melior virgo humilius quam maritata humilius; sed melior maritata humilius quam virgo superba. En. in Psalm. 75.

Ipsa est perfectio nostra humilitas. En. in Psalm. 130.

Fit enim miris modis in anima hominis ut de falsa humilitate magis infletur; quam si apertius superbiret. Ep. 149 ad Paulinam.

Timeamus ne de donis Dei nos extollentes per superbiam, mereamur amittere quod humilitate percepimus. En. in Psalm. 138.

Noli ergo tua merita computare, noli. Etsi suggerit iniquitas, noli consentire. *En. in Psalm. 66.*

Sicut ne fiant peccata prospicit caritas; ita facta delet humilitas. *Serm. 383.*

Qui ante Deum se projicit, ab illo erigitur; qui aduersus illum se erigit, ab illo projicitur. *Serm. 351.*

Melior est humilis peccator, quam justus superbis. Placuit Deo magis humilitas in malis factis, quam superbia in bonis factis. *En. in Psalm. 93.*

Superbia facit voluntatem suam, humilitas facit voluntatem Dei. Haec commendatio humilitatis est.

Tract. 26 in Joann. Evang. cap. 6.

Melior est humilitatis tremor, quam confidentia superbiae. *En. in Psalm. 104.*

Non propterea in militia Christiana ad pietatem divites humiliantur, ut pauperes ad superbiam extollantur. *lib. de oper. Mon.*

Tandem ad nimadvertat terrena superbìa, nihil in ipsis terrenis esse potentius humilitate divina, ut etiam saluberrima humilitas humana contra insultantem sibi superbiam divinae imitationis patrocinio tueretur. *Epist. 233 ad Longin.*

Bibe aquam de tuis vasis, et de puteorum tuorum fontibus. Ad istos fontes non accedunt impii, sed credentes in eum qui justificat impium, et jam justificati accedunt. *En. in Psalm. 31.*

ARTICULUS II.

De Obedientia.

Obedientia commendata est in praecepto, quae virtus in creatura rationali mater quodammodo est omnium custos que virtutum. *lib. 14 de C. D. cap. 12.*

Non potuit Deus perfectius demonstrare quantum sit bonum obedientiae, nisi cum prohibuit ab ea re, quae non erat mala. *En. in Psalm. 70.*

Nihil enim tam expedit animae quam obedire.
Ibidem.

Bonum est sursum cor habere, non tamen ad se ipsum, quod est superbiae, sed ad Deum quod est obedientiae. *lib. 14 de C. D. cap. 13.*

Quid iniquius quam velle sibi obtemperari à minoribus, et nolle obtemperare majoribus. *lib. de oper. Manach.*

~~cui~~ Qui benè vult inimico suo, Deo similis est: nec ista est superbia, sed obedientia. *En. in Psalm. 70.*
~~etiam~~ Si expedit animae obedire in servo ut obediatur Domino, in filio ut obediatur Patri, in uxore ut obediatur viro, quantò magis in homine ut obediatur Deo? *Ibidem.*

ARTICULUS III.

De Castitate sive Pudicitia.

Est animi castitas amor ordinatus non subdens magiora minoribus. Minus est autem quiquid incorpore, quam quidquid in animo violari potest. Etiam corporalis pudicitia corrumpi nisi in animo non potest. *De mendac. cap. 20.*

Pudicitiam corporis, non consentiente ac permittente anima, nemo violat. Quidquid nobis invitis, nullamque tribuentibus potestatem majore vi contingit in nostro corpore, nulla impudicitia est. *De mendac. cap. 19.*
~~int~~ Violentia illata corpori animo repugnante, non pro corruptionis turpitudine, sed pro passionis vulnera deputabitur. *Epist. 228.*

Castitas violentia non violatur, si mente servetur.

Ibidem.

Feminas coërcet parentum custodia, sexus verecundia, legum timor: ideoque gloriosior virorum castitas. Habet illa multa quae timeat praeter Deum, tu solum Deum times. *Serm. 132 de verb. Evang. Joann. 8.*

Memento in quocumque sexu sitis, sive mares, sive feminae, Angelorum vitam ducere vos in terra. *Ibidem.*

Tantum enim valet in mente integritas castitatis; ut illa inviolata, nec in corpore possit pudicitia violari, cujus membra potuerint separari. *Ad Donat. ex Procons. Epist. 112.*

Adulterium carnis est, illicitè concubere: adulterium cordis est, veritatem negare. In fide, in mente ibi debet esse castitas. *Serm. 319.*

Te ipsum castum custodi. Nam malis malus miseri potest, bonus autem nullo modo. *Cont. Epist. Parmen. lib. 2 cap. 21.*

Qui se castum servat, non communicat peccatis alienis. Si enim communicat consentit: si consentit corrupitur; si corruptitur castum se non servat. *Ibidem.*

Pudicitia res est animi, virginitas corporis. Deni-

que illa integra in animo permanente, potest ista de corpore violenter auferri, et cum ista integra manet corpori, potest illa in animo lasciva voluntate corrumpi. *Cont. Julian. Pelag. lib. 4.*

Pudicitia conjugalis, bonum nuptiarum, limes matli, donum Dei. lib. 1 de nuptiis et concup. cap. 3.

Pudicitia conjugalis, vidualis, et virginalis tres ubertates evangelicae in arca Noe figuratae. lib. 16 de C. D. cap. 27.

Absit ergo pudicum veraciter dici, qui non propter Deum fidem connubii servat uxori. *lib. de nuptiis et concupisc. cap. 3.*

ARTICULUS IV.

Poenitentia.

Poenitendum esse peccati vox est ista naturae. *lib. de duab. animab. cont. Manich. cap. 14.*

Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel à quocumque seu magno seu parvo peccato ad correctionem sine poenitentia posse transire. *Ad Vincent. Rogatist. Epist. 93.*

Qui tundit pectus et non corrigitur, solidat peccata, non tollit. *lib. de Discipl. Christ.*

Si tuleris portum poenitentiae, desperatione augebunt peccata. Ne desperando augeamus peccata, propositus est poenitentiae portus: rursus ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus. *Serm. 325.*

Quid est poenitentia, nisi sua in seipsuin iracundia. Qui poenitet irascitur. *Serm. 19.*

Ut enim creetur mundum cor, conteratur inmundum. *Serm. 19.*

De ceteris vitiis seu peccatis.

ARTICULUS V.

De Superbia.

De nuptiis homo natus est, de superbia Angeli ceciderunt. *Serm. 354.*

Superbis continentibus cadere expedit, ut in eo ipso, in quo se extollunt, humilientur. Quid enim prodest cui in est continentia, si dominatur superbia. *Serm. 354.*

Superbia ubi mentem possederit, erigendo dejicit, inflando evacuat, distendendo dissipat. Superbia continuo parit invidiam. *Serm. 353.*

Usque adeo continentes homines, plerumque superbiunt, ut non solum quibuscumque hominibus, sed etiam parentibus ingrati sunt, et adversus parentes extolluntur. *Serm. 354.*

Vitia caetera in peccatis, superbia verò etiam in recte factis timenda est, ne illa quae laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. *Ad Diocor. Epist. 118.*

Cum se ipso sibi quasi bono animus gaudet superbus est. *Ibidem.*

Ubi enim praecedit inflatio, continuo sequitur aemulatio, quoniam superbia mater est invidentiae. *ad Marcellin. Epist. 138.*

Si superbia non esset, non essent haeretici, neque schismatici, nec carne circuncisi, nec creaturae simulacrorum cultores. Hi si non essent, multo pigerius veritas quaereretur. *lib. de ver. Relig. cap. 25.*

Si bona quae facio fine laudis humanae facerem, laudis amore tumescerem. *Ad Darium Epist. 231.*

Superbiendo igitur invidus, non invidendo quisque superbus est. *lib. 11 de Genes. ad litt. cap. 14.*

Quò enim altiores, id est superbiores, eò fragilius levioresque sunt. *Quaest. Evang. quaest. 11.*

Periculum est enim sibi placere, cui cavendum est superbire. *Tract. 58 in Joann. Evang. cap. 13.*

Vae homini cuius auriga superbìa est, necesse est ut praeceps eat. *Tract. 8 in Epist. Joann. 4.*

Quid nobis profuit superbìa, aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra. *En. in Psalm. 7.*

Initium omnis peccati superbìa; et initium superbiae hominis apostatare à Deo. *En. in Psalm. 7.*

Qui non in Domino volunt laudari, non sunt mansueti; sed truces, asperi, elati, superbì. *En. in Psalm. 33.*

Levitatis est erigere caput, quasi nihil portat, qui erigit caput. Quia ergo leve est quod potest erigi, accipe pondus unde possit comprimi. *En. in Psalm. 37.*

Si fueris humilis erigeris; si fueris elatus, curvaberis: non enim deerit Deo pondus unde te curvet. *En. in Psalm. 37.*

Qui putant se aliquid habere eum hic vivunt,
superbiendo non accipiunt quod deest. Qui enim pu-
tat se esse aliquid, cum nihil sit, semetipsum sedu-
cit. *En. in Psalmo 38.*

Confringuntur capita inimicorum, cum à superbia
dejiciuntur, sive humilitate correcti, sive in ima tar-
tari abrepti. *En. in Psalm. 67.*

Superbi quid? Quasi fumus: etsi alti sunt eva-
nescunt. *En. in Psalm. 100.*

Omnis superbus invidus est, qui invidus est ma-
lis alienis pascitur. *En. in Psalm. 100.*

Superbia mater est invidentiae: non potest nisi
generare hanc et cum illa semper esse. *En. in Psalm.*
100.

Quomodo aves ad muscipulam, aut pisces ad ha-
mum pascuntur, sed capiuntur, sic et ipsi superbi et
invidi. *Ibidem.*

Homo vanitati similis factus est. Cum qua vani-
tate nasci, non solum veridica Scriptura qua plangi-
tur, verum etiam labiorosa, et aerumnosa cura qua
eruditur, ostendit. *lib. i oper. imperf. cont. Ju-
lian. § 1.*

Volunt verbis sapientiae inflari, et quanto magis inflantur, tantò magis efficiuntur extra ipsam. *En. in Psalm. 118 Serm. 29.*

Praesumentes omnia sibi abundare extolluntur, et cum sint homines per iniquitatem omnibus hominibus inferiores, per superbiam superiores se putant omnibus hominibus. *En. in Psalm. 124.*

Omnis autem superbus fictus, omnisque fictus mendax. *En. in Psalm. 40.*

Inordinatè humilis non levatur; periculosè precipitatur superbus. *Serm. 13.*

Quicumque de paupertate gloriamini, cavete superbiam, ne vincant vos humiles divites. *Serm. 85.*

Sursum cor ad Dominum, refugium est: sursum cor, sed non ad Dominum, superbia est. *Serm. 259.*

Omnis non mitis superbus, asper, elatus, in se vult laudari, non in Domino. *Serm. 274.*

Alia est soliditas magnitudinis, alia est inanitas inflationis. *Serm. 351.*

Qui foris tumescit, intus tabescit. *Ibidem.*

Vanitas veritate loquacior. Quae non idem potest quod veritas, quia si voluerit, etiam plus potest cla-

mare , quam veritas. lib. de C. D. cap. 26.

Simulatio humilitatis superbia est. lib. de Sta. Virginit.

Nec jactantia vitium est laudis humanae , sed animae perversè amantis laudari ab hominibus , spreto testimonio conscientiae. lib. 12 de C. D. cap. 8.

Quid est autem superbia , nisi perversae celsitudinis appetitus. Perversa celsitudo est , deserto eo cui debet animus inherere principio , sibi quodam modo fieri , atque esse principium. lib. 4 de C. D. cap. 13.

Ipsum quoque extolli , jam dejici est. lib. 14 de C. D. cap. 13.

Et audeo dicere: superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum , unde sibi displiceant , qui jam sibi placendo ceciderant. lib. 4 de C. D. cap. 13.

Sunt homines superbia tumidi , pervicacia vesani , calumniis insidiosi , seditionibus turbulenti , ne luce veritatis carere ostendantur , umbram rigidae severitatis ostendunt. lib. 3 cont. Epist. Parmen. cap. 1.

Superbia quippe ex vetustate primi hominis , qui superbia lapsus est , quasi fermentata et corrupta

mente facit elatos in unam conspersiōnē, qui sibi met
in eam simili jactantiae vanitate consentiunt. lib. 3
cont Epist. Parmenian. cap. 2.

Vitiorum omnium humānorūm caussa superbia est.
lib. 2 de peccat. merit. et rem. cap. 13.

Sancta cogitatio non effert in superbiam, quod
vitium oritur, cum sibi quisque praefidit, seque sibi
ad vivendum caput facit. lib. de spirit. et litt. cap. 7.

Hac superbia sive impietate, qua sibi tribuit quis-
que quod Dei est, pellitur homo in tenebras suas,
quae sunt opera iniquitatis. Ibidem.

Vanitas morbus est eorum, qui seipso seducunt,
dum videntur sibi aliquid esse, cum nihil sint. ibidem.

Philosophi leves et inflati, ac per se ipso velut
per inane sublati, ubi non requiescerent, sed fracti
disilirent, et in figmenta idolorum tamquam in lapi-
des deciderunt. Ibidem.

ARTICULUS VI.

De Avaritia.

Certè radix omnium malorum est cupiditas: in-

venimus et in superbia avaritiam esse, excessit enim modum homo. *Tract. in Epist. Joann. cap. 4.*

Homo quid laboras amando? amando avaritiam, cum labore amatur, quod amas: sine labore amatur Deus. *Tract. in Epist. Joann. cap. 5.*

Omnis autem à nobis circunciditur avaritia, si gratis colatur Deus. *En. in Psalm. 118 Serm. 11.*

Quantò enim elati sunt homines tanto avari: et quantò in hoc soeculo majores, tanto plus amant dignitas suas. *En. in Psalm. 147.*

Noli sub imagine pietatis augere pecuniam. Mala est avaritia: palliare se volunt nomine pietatis et de albare. *Serm. 9 de decem chordis.*

Avarus inde torquetur, unde misericors adjuvatur. *Serm. 50.*

Nec avarum tibi Deus, nec profusum vult. *Serm. 9.*

Si stultus est qui recondit sua; vos invenite nomen ei qui tollit aliena. *Serm. 178.*

In genere humano plures allicit avaritia, quam pigritia. *lib. 7 de C. D. cap. 3.*

Qui enim nocere vult, bono aliquo vult priva-

re aliis propter aliquod bonum suum. lib. de duab.
animab. cont. Manich. cap. 12.

Avarorum perniciosa colloquia, vitanda: avarorum adagium est: quantum habebis, tantus eris. Frange lunam, et fac fortunam. Ita susurrabis proximo tuo, quae non didicisti in domo disciplinae. Nolo sic diligas proximum tuum. O si possem facere, ut nulli jungereris! Serm. de discipl. christ. cap. 8. siup, sed.

Ecce turbaris, ecce fluctuas: cor tuum quasi navis tempestatibus quatitur. Serm. 108 de verb. Evang. Luc. cap. 2.

Parum est avaritia pecuniae, cave avaritiam vitae. Ibidem.

Forte dum vivis, thesaurizas furi. Una nocte venit, et tot diebus ac noctibus congregatum paratum invenit. Quam multa quae congregavit vanitas, parata invenit hostilis crudelitas. Serm. 60 de verb. Evang. Math. cap. 6.

Avare, quare invocas Deum? Ut det mihi lucrum. Lucrum ergo invocas non Deum. Quia hoc lucrum non potes habere per servum tuum, non potes habere per colonum tuum, per clientem tuum, per

amicum tuum: invocas Deum, ministrum lucri tui facis Deum. Deus si ad te veniat sine auro et argento non vis illum. *En. in Psalm. 30.*

Credendo Avarus dives est, non videndo. Amas pecuniam, ò caece, quam numquam videbis. Caecus possides, caecus moriturus es, quod possides non vides, hic relicturus es. Non tenebas, et quando vivebas, quia non videbas: quia non videbas, quod habebas. *De discipl. Christ.*

Inexplebilis est sola avaritia divitium. Semper rapit, et numquam satiatur: nec Deum timet, nec hominem reveretur; nec patri parcit, nec matrem agnoscit: nec fratri obtemperat, nec amico fidem seryat: viduam opprimit, pupilli rem invadit, libertos in servitium revocat, testamentum falsum profert. Res mortui occupantur, quasi non et ipsi, qui hoc faciunt moriantur. *Serm. 366.*

ARTICULUS VII.

De adulacione.

Qui laudari vult ab hominibus vituperante te,

non defendetur ab hominibus judicante te, nec eripietur damnante te. *lib. 10 Conf. cap. 36.*

Facile est laude carere dum denegatur, difficile est, ea non delectari cum offertur. *Ad Maxim.*

Epist. 23.

Vir autem probatur per os laudantium eum. Ignis ille, ignis et iste: de utroque te salvum oportet exire. *En. in Psalm. 69.*

Quare laudando premis? Melius vituperares, quam dolose laudares? *En. in Psalm. 119.*

Falsa laus adulatio est: falsa laus adulatoris, hoc est oleum peccatoris. *En. in Psalm. 40.*

Quid est adulatio nisi fallaci laude seductio? *Serm. 35.*

Qui imitatur bonos, nullius hominis appetit laudem. *De divers. Quaest.*

Qui vos felices dicunt in errorem vos mittunt. Melius est objurgari à justo, quam à peccatore laudari. *Ibidem.*

Laudator vero et errans confirmat errorem, et adulans illicit in errorem. *lib. 2 de Trinit.*

Malim me misericordi objurgatione sanari, quam

blanda adulazione decipi atque perverti. lib. 2 cont.

lit. Pestil. cap. 3.

Nemo gratuletur homini qui prosperatur in via sua, cuius peccatis deest ulti, et adest adulator. Major haec ira Domini est. En. in Psalm. 9.

Adulationis lingua plus persequitur, quam manus intersectoris. En. in Psalm. 69.

Magis amat objurgator sanans, quam adulator ungens caput. Ad Alypium Epist. 29.

Adulantes amici pervertunt, inimici litigantes plenumque corrigunt. lib. 29 confess. cap. 8.

Adulatione trahunt ad se, quos ad peccata illecent, et eos tamquam devorant. En. in Psalm. 9.

Adulantiam linguae alligant animas in peccatis. Delectat enim ea facere, in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur. Ibidem.

Etsi non facis, et laudas quod sit, ad stipulator es facti, Non facis mala, laudas mala facientis. En. in Psalm. 49.

Praecipitas hominem incaute vitia sual proferentem, et an sint vitia nescientem. Ibidem.

ARTICULUS VIII.

De mendacio.

Ille mentitur qui aliud habet in animo, et aliud verbis vel quibuslibet significationibus enuntiat. Unde etiam duplex cor dicitur esse mentientis, id est duplex cogitatio. *lib. cont. mendac.*

Culpa vero mentientis est in enuntiando animo suo fallendi cupiditas, sive fallat cum ei creditur falsum ennutianti, sive non fallat, cum ei non creditur. *lib. cont. mendac.*

Non omnis qui falsum dicit mentitur, si credit aut opinatur verum esse quod dicit. *Ibidem.*

Aliud est mentiri, aliud verum tacere; siquidem aliud est falsum dicere, aliud verum occultare. *En. in Psalm. 5.*

Qui non nisi pro salute hominis mentitur, plurimum prosecit; et laudanda, vel etiam remuneranda ejus, non fallacia; sed benevolentia. *Enchirid. de F. S. et C.*

Verba propterea sunt instituta , non per quae se homines invicem fallant ; sed per quae in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. *Enchirid. de F. S. et C.*

Hic autem homines fallunt et falluntur ; miseriioresque sunt cum mentiendo fallunt , quam cum mentientibus falluntur. *Enchirid. de F. S. et C. cap. 17.*

Usque adeo tamen rationalis natura refugit falsitatem , et quantum potest devitat errorem ut falli nolint , etiam quicumque amant fallere. *Enchirid. de F. S. et C.*

Perjuri sunt , qui servatis verbis , expectationem eorum quibus juratum est , deceperunt. *Ad Albinam Epist. 125.*

Nemo ferè est , qui velit quemquam duplici corde secum agere. *lib. 2 de Serm. D. in mont. cap. 22.*

Ministra fallacie est lingua dolosa , aliud incor-
de gestantium , aliud ore promentium. *En. in Psalm. 51.*

Subdola lingua habet imaginem consulendi , et perniciem docendi. *En. in Psalm. 119.*

Sterilis arbor , qualis fuit illa siculnea , folia so-

Ia habebat; sic sunt qui verba habent, et facta non habent. *En. in Psalm. 128.*

Non sic peccat ille qui consulendi, quomodo ille qui nocendi voluntate mentitur. *Enchirid. de F. S. et C.*

Nullo modo liber est à mendacio, qui ore nesciens verum loquitur, sciens autem voluntate mentitur. *Enchirid. de F. Sp. et C.*

In p. Quamvis omnis qui mentitur velit celare quod verum est, non tamen omnis qui vult celare quod verum est, claram mentitur. *lib. cont. mendac. ad Crescent.*

Non est mendacium cum silendo absconditur verum, sed cum loquendo promittitur falsum. *Ibidem.*

Si contra coelestia fulgura mendacii terreni fumus aliquid praevaleret, dimisso coelo evanescit inventos. *Cont. Epist. Pamienian. lib. I.*

Qui loquitur mendacium de suo loquitur; vos ergo sicut homines mentiemini, quia sicut homines irascimini. *Ibidem.*

Quaedam proffesio sophistica est et maligna, quae sibi proponit, non ex animo, sed ex contentione vel

commodo pro omnibus et contra omnia dicere. Qui sophisticè loquitur, odibilis est. *lib. cont. Crescon. cap. 2.*

Agnoscant in se contentiosae animositatis nomen et crimen, qui pervicaci astutia praebent patrocinium falsitati. *lib. 1 cont. Crescon. cap. 7.*

Difficilia et laboriosa sunt figmenta mendacii. *En. in Psalm. 139. n. 13.*

Multos expertus sum, qui vellent fallere, qui autem falli neminem. *lib. 10 Conf. cap. 23.*

Verum tamen sine ulla dubitatione minus malum est, per Deum falsum jurare veraciter, quam per Deum verum jurare fallaciter. *Ad Publiocolam Epist. 47.*

ARTICULUS IX.

De Hypocrisi.

Humanae laudis aviditas etiam hypocrism saepè ganerat. *Ad Maximin. Epist. 23.*

Quid est paries de albatus, nisi hypocrisis, id est, simulatio? Foris lucet, intus lutum est. *En. in Psalm. 95.*

Cum enim quisque ceciderit ab olla intima; et secretissima luce veritatis, est unde velit placere superbia, nisi fraudulentis simulationibus. Hinc hypocrisia nascitur. *lib. 2 cont. Manich. de Genesi.*

Laus humana non appeti à recte faciente, sed subsequi debet recte facientem. *lib. 2 de Serm. D. in mont. secund. Math.*

Sunt enim Hypocritae simulatores, tamquam pronuntiatores personarum alienarum, sicut in theatricis fabulis. *lib. 2 de Serm. D. in mont. sec. Math.*

Simulat enim justum, non excipit; quia totum fructum in laude hominum ponit. *Ibidem.*

Hypocitarum est praebere se spectando in oratione, quorum fructus est placere hominibus. *lib. 2 de Serm. D. in mont. cap. 2.*

Simulata aequitas non est aequitas, duplex iniquitas, quia et iniquitas est, et simulatio. *En. in Psalm. 63.*

Dicendo enim se sine peccato esse, justum non potest exhibere, sed fingere. *Tract. 62 in Joann. Evang. cap. 15.* Malum habere claudos, quam plangere mortuos.

Qui enim hypocrita est, mortuus est. *Serm. 356.*

ARTICULUS X.

De bonis et malis moribus.

Innocentiam morum sic tenere debetis, ut eam crescendo non amittatis. *Serm. 353.*

Boni mores vitam bonorum malorumque discernunt, et ad diversa perducunt. *lib. 3 cont. Crescent. cap. 4.*

Perfecti viatoris ambulatio, non corporis pedibus, sed mentis affectibus et vitae moribus geritur.

Ibidem.

Mores quilibet tantum valent ad obtainendas hominum mentes, ut etiam, quae in his prava sunt, quod ferè superantibus libidinibus evenit, improbare citius, et detestari, quam deserere aut mutare possimus. *lib. de utilit. cred. cap. 17.*

Ad Deum qui ubique praesens est, et ubique totus, non pedibus ire licet, sed moribus. Mores autem nostri non ex eo quod quisque novit, sed ex eo quod

diligit dijudicari solent. Nec faciunt bonos vel malos mores, nisi boni aut mali amores. *Epist. 155 ad Maced.*

Quae autem contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt; ut pactum inter se civitatis aut gentis consuetudine vel lege firmatum, nulla civis aut peregrini libidine violetur. lib. 3 Conf. cap. 7.

Cum autem Deus aliquid contra morem aut pactum quorumlibet jubet, et si numquam ibi factum est, faciendum est; et si omissum, instaurandum; et si institutum non erat, instituendum. *Ibidem.*

Multi sunt, qui corda pie viventium suis perditis moribus cruciant, quoniam per eos blasphematur Christianum et catholicum nomen. *lib. 8 de C. D. cap. 51.*

Post deletam Cartaginem, majorum mores, non paulatim ut antea, sed torrentis modo praecipitati Romanorum juventus luxu atque avaritia corrupta est. *lib. 2 de C. D. cap. 19.*

Ante adventum Christi res publica Romanorum pessimis et flagitiosissima facta erat: immo vero nulla erat,

atque omnino perierat perditissimis moribus. lib. 2 de C. D. cap. 22.

Pessimis moribus civium Romanam rem publicam perditam fuisse, auctores eorum dicere et scribere non dubitarunt. lib. 2 de C. D. cap. 25.

Per bonos mores et optimos nobis etiam ipsa provenit, ad quam omni studio rapimur, agnitus veritatis. lib. 1 de morib. Eccl. cap. 28.

CAPUT IV.

De Religione, et vero Dei cultu.

Religio est, quae superioris cuiusdam naturae, quam divinam vocant, curam o caerimoniamque adfert. lib. de divers. quaest. pag. 9.

Animae igitur causa omnis religio. lib. de utilit. cred. cap. 17.

Ea qua colimus Deum religio dicitur, vel quae nobis est erga Deum. lib. 10 de C. D. cap. 1.

Religionis summa est imitari quem colis. lib. 8 de C. D. 17.

Hujus religionis singuli templa sumus:: ejus altare cor nostrum: ejus Unigenito cum Sacerdote placemus: ei cruentum victimas caedimus, quando usque ad sanguinem pro ejus veritate certamus: ei suavissimum adolemus incensum cum in ejus conspectu pio, sahō que amore flagramus: ei dona ejus in nobis, nos que ipsos vovemus et reddimus; ei beneficiorum ejus solemnitatibus festis, et diebus statis dicamus, sacramus que memoriam: ei sacrificamus hostiam laudis et humilitatis in ara cordis igne fervidae caritatis. Hunc ergo religentes, unde et religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perueniendo quiescamus. Hic est Dei cultus, haec est vera religio, haec recta pietas, haec tantum Deo debita servitus. *lib. 10 de C. D. cap. 3.*

Pietas Dei cultus dici potest, in quo in hoc maxime constitutus est ut anima ei non sit ingriata. Unde in ipso verissimo et singulari sacrificio Domino Deo nostro agere gratias admonemur. *lib. de spirit. et lit. cap. 11.*

Pietas, id est verus Dei cultus ad omnia prodest, et quae molestias hujus vitae avertat, et leniat, et

quae ad illam vitam, salutemque perducat. *Epist. 155
ad Maced.*

Haec omnia scies, diligenter sciendo quid credi, quid sperari debeat, quid amari. Haec enim maximè immo vero, sola in religione sequenda sunt. *Ibidem.*

Cum ergo Deus inspirat et docet quomodo eolendus sit, non solum sua nulla indigentia facit, sed nostra maxima utilitate. *Epist. 102 quaest. 30.*

Quod ergo colit summus Angelus, id colendum est etiam ab homine ultimo, quia ipsa hominis natura id non colendo facta est ultima. *lib. de vera Religion. cap. 55.*

Quisnam bellat adversus Deum? Impietas. Et quid potest facere impietas Deo? Nihil. Quid facit facile vas elisum ad petram quamvis vehementer elidatur? Tantò majore suo malo venit; quantò majore impetu venit. *En. in Psalm. 45.*

Gratiarum actio.

Melius est, vel de parvo Dei dono gratias ipsi agere, quam sibi agi velle de magno. *Ad Paulin. Epist. 27.*

Qui se laudat, Deum non laudat; sed se à Deo avertit. *Serm. 170 de verb. Apost. Philip. 4.*

Quando ista dat, benedic; et quando ista tollit, benedic. Quia ille dat, ille tollit: sed seipsum à benedicente se non tollit. *En. in Psalm. 33.*

Cum benedixit nos Deus, nos crescimus; et cum nos benedicimus Dominum, nos crescimus: utrumque nobis prodest. *En. in Psalm. 66.*

Ne praedices salutem Domini in prosperis, et obtumescas in adversis. *En. in Psalm. 70.*

Amplius placebit Deo laus ejus exiens de ore meo, quam magna victimā ad aram ipsius. *En. in Psalm. 68.*

In prosperis quia consolaris; in adversis quia corrigis: antequam essem, quia fecisti; cum essem, quia salutem dedisti; cum peccasem, quia ignorasti; cum perseverassem, quia coronasti. *En. in Psalm. 70.*

Tantò major est laus ignoscentis, quanto major est exaggeratio peccata confitentis. *En. in Psalm. 85.*

Tantò amplius diligitur gratia donantis, quanto supplicium debebatur. *Serm. 170 de verb. Apost. Philip. 4.*

Ubique sit gratus nusquam ingratus: et Patri consolanti et blandienti; et Patri emmendantī et flagellanti,

et disciplinam danti gratus sit. *En. in Psalm.* 85.

Si vis cantare misericordiam et judicium; intellige quia ideo punit, ut corrigaris, non ut in malignitate permaneas. *En. in Psalm.* 100. *et tuus dominus te benedic.*

Malo suo laetabitur homo in se, bono suo laetabitur in te. Videndo homo quidquid boni habet, non superbit, non superbiendo non extollitur, non se extollendo non cadit, non cadendo stat, stando inhaeret, inhaerendo manet, et manendo perficitur et laetabitur in Domino. *En. in Psalm.* 84.

Qui maledicit Domino, ipse nutritur; qui benedicit Domino, ipse augetur. Non augetur ille benedictione nostra, nec maledictione nostra minuitur. *En. in Psalm.* 66.

Non te laudarent labia mea, nisi me praecederet misericordia tua. Dono tuo te laudo. *En. in Psalm.* 66.

Venit in lucrum confitetur, venit haereditas confitetur, patitur dominum blasphemat. Qualis filius es qui quando te Pater commendat, tunc tibi displicet? Eruditiris enim cum commendaris. *En. in Psalm.* 48.

Suggero tibi remedium, unde tota die laudes Deum si vis. Quidquid egeris, bene age, et laudasti Deum. *En. in Psalm.* 35.

Gratia est, in qua amicitiarum et officiorum, alterius memoria, et alterius remunerandi voluntas continetur.

De divers. quaest. 3. i. datus Civitatis gressus. V.

Urum et singulorum ceterarum non videlicet solum sine primariae societate deserventem, sed ut eo modo velige-

mentis ei conuenienter. Problematis concordie, si non tamen iniisi, se expedita-

similitudine, vel cum certa compositione sive ceteris potuisse

esse fieri possit. lib. 13 q. 12 art. 31.

Quatuor conuenientia sit in boni societate libere ali-

teries ut non se ipsas singulas, sed plurius baricas

En. in Prol. cap. 1. q. 12 art. 31. C. A. S. 1. CAPUT I.

Per annos horum peccatum mortales quod per-

admonitus est populus universus tamquam in

De statu sociali. I. articulo. Quod omnia diuidit in

tra filios et filias, sed in vicem sibi subiectum

ARTICULUS I.

De hominum statu naturali et sociali generatim.

*E*x uno homine Deus, ad commendandum hominibus,

quam ei grata sit etiam in pluribus unitas, genus hu-

manum instituit, lib. 1 cap. 22 de C. D.

In primo homine, qui primitus factus est, exortas fuisse existimemus in genere humano societates tamquam Civitates duas. *Ibidem.*

Unum et singulum creavit, non utique solum sine humana societate deserendum, sed ut eo modo vehementius ei commendaretur ipsius societatis unitas, vinculumque concordiae, si non tantum inter se naturae similitudine, verum etiam cognationis affectu homines necterentur. *lib. 12 de C. D. cap. 21.*

Quantum connexa sit in populi societate ipsa universitas, ut non se ipsis singuli, sed tamquam partes intoto existimentur. *lib. 1 de divers. graest. ad Simplician.*

Lege naturae sancitur, ut non solum quisque cureret in populo, sed invicem sibi adhibeant diligentiam, et tamquam unius corporis, et unius hominis alia pro aliis sint membra sollicita. *Ibidem.*

Dando et accipiendo inter se hominum societas connectitur. *Ibidem.*

Omnis societas fraudulentum socium naturaliter refugit ac non vult. *lib. 1 de nupt. et concup.*

Est autem justum consilium, ut qui à potentio-

re adjuvari vult; adjuvet infirmorem, in quo et ipse potentior est. *lib. 1 de Serm. D. in mont. secund. Matth. cap. 3.*

Sine unitatis societate vinculo caritatis inita, etiam Spiritus Sancti, dona nihil prosunt. *Ibidem.*

Nemo est in genere humano, cui non dilectio, et si non pro mutua caritate, pro ipsa tamen communia naturae societate debeatur. *Epist. ad Probam 130.*

Omnibus subuentum velle debemus. *lib. de Quant. Anim. cap. 34.*

Parum est nemini nocere, nisi studeas multis prodesse. *En. in Psalm. 53 n.^o 19.*

Per unius hominis peccatum mortemque paucorum admonitus est populus universus, tamquam in corpore universo, quaerere quod amissum est. Quod neque contra fidem, neque contra mores bonos esse convincitur, propter eorum, inter quos vivitur societatem, servandum est. *lib. 1 epist. 54 ad Januarium.*

Nihil est quam hoc genus humanum tam discordiosum vitio, quam sociale natura. *lib. 12 de C. D. cap. 27.*

Quis milvus, quantumlibet solitarius rapinis cir-

cum voleat, non conjugium copulat, nidum congerit, ova confovet, pullos alit, et quasi cum sua matresfamilias, societatem domesticam quanta potest pace conservat? Quantò magis homo fertur quodammodo naturae suae legibus ad ineundam societatem pacemque cum hominibus, quantum in ipso est, omnibus obtinendam. *lib. 19 de C. D. cap. 12.*

ARTICULUS II.

De Societate Conjugali, seu de Nuptiis.

Prima naturalis humanae societatis copula vir et uxor est. Quos nec ipsos singulos condidit Deus, nec tamquam alienigenas junxit. *lib. de bon. conjug.*

Bonum conjugii non propter solam filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem societatem in diverso sexu. *Ibidem.*

Copulatio maris et feminae, quantum adtinet ad genus mortalium, quoddam seminarium est Civitatis. *lib. 15 de C. D. cap. 16.*

Hoc bonum conjugii est; per quod ordinata socie-

tate nascitur homo. lib. 1 de peccat. merit. et remis.

cap. 19.

Ad naturam pertinet nuptiarum ut mas et femina generandi societate jungantur. lib. de nuptios. et concupis.

Nuptiarum fructus ordinata filiorum susceptio. lib.

3 cont. Julian. Pelag. cap. 23.

ARTICULUS III.

De viro et uxore.

Qui conjugati estis, fidem thori servate uxoribus vestris. Vir à femina exigis castitatem, praebe illi exemplum. Serm. 132.

Conjugium facit non commistio carnalis, sed caritas conjugalis. Serm. 51 de concord. Math. et Luc. ni. Copulatio animorum carior, quam commistio corporum. Cont. Faust. lib. 23.

Conjugalem vitam agentes, si tenent humilitatem, superbis castis meliores sunt. Serm. 354.

Vir et uxor, quales secum esse debeant, praecip-

.tum accipiunt et exemplum. lib. de continent.

Quidquid inter se conjugati immodestum, inver-
secundum, sordidum gerunt, vitium est hominum, non
culpa nuptiarum. lib. de bono conjugal.

Proles amanter suscipiatur, benigne nutriatur, re-
ligiose educetur. Haec est tamquam regula nuptiarum,
qua vel naturae decoratur secunditas, vel incontinen-
tiae regitur pravitas. lib. 9 de Genes. ad lit. cap. 7.

Bonum conjugii non est fervor concupiscentiae;
sed quidam licitus et honestus illo fervore utendi mo-
dus, propagandae que proli, non explendae libidini ac-
commodatus. Voluntas non voluptas illa, nuptialis est.
lib. 1 de peccat. merit. cap. 29.

In quantum nuptiae bona sunt, in tantum faciunt
plurimum boni etiam de libidinis malo: quoniam libi-
dine non benè utitur libido, sed ratio. De peccat. orig.
cont. Pelag. et Coelest.

Libidinis voluptas non propter nuptias cadit in
culpam, sed propter nuptias accipit veniam. lib. 1 de
nuptiis et concupisc.

Quando libidinis caussa propagationi prolis obsis-
titur sive voto malo, sive opere malo; qui hoc faciunt,

quamvis vocentur conjuges, non sunt, nec ullam nuptiarum retinent veritatem, sed honestum nomen velandae turpitudini ostendunt. lib. 1 de nuptiis, &c.

non Aliquando eo usque pervenit libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, ut etiam sterilitatis venena procuret.

Si ambo conjuges tales sunt, conjuges non sunt. lib. 1 de nuptiis &c.

Si autem ambo tales sunt, audeo dicere, aut illa est quodammodo meretrix mariti, aut ille adulter uxoris.

lib. de nuptiis &c. cap. 15.

Intemperans in conjugio, quid aliud nisi quidam ad ultre uxoris est? lib. 2 cont. Julian. Pelag. cap. 7.

Carnis concupiscentia non est nuptiis imputanda, sed toleranda. Non est ex naturali connubio veniens bonum, sed ex antiquo peccato accidens malum. lib. 1 de nuptiis &c. cap. 17.

ARTICULUS IV.

De viro erga uxorem.

Tu vir, conjugibus non ad illudendum imbeciliorem

sexum sed sinceris amoris legibus praeficis. lib. i de morib. Eccles. cap. 30.

Multi viri à feminis vincuntur. Servant feminae castitatem, quam viri servare nolunt, et in eo quod non servant, se viros videri volunt. Serm. 132.

Ad uxorem non accedas, si potes, nisi liberorum procreandorum caussa. Si modum excesseris contra tabulas facies, et contra pactum. Serm. 278.

Adulterium facere prohiberis, ne noceas proximo. Quomodo non vis accedi ad tuam, sic non debes accedere ad alienam uxorem. Serm. 278.

Sufficient vobis uxores vestrae, quia sufficere vos vultis uxoribus vestris. Non vis ab illa fiat aliquid praeter te: noli facere aliquid praeter ipsam. Serm. 332.

Tu vir es, ostende: vir enim à virtute, vel virtus à viro. Serm. 332.

Caput es, duc, quo sequatur: sed noli ire, quo non vis ut sequatur. Ne in praecipitum ruas, vide, ut recto tramite gradiaris. Serm. 332,

Per iniquum mihi videtur esse, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibet. De conjug. adulterin.

Minor est, ac non potius major, et pejor virorum impudicitia, quia inest illis superba et licentiosa jactantia. *Ibidem.*

Ornet mores tuos pudicitia conjugalis, ornet sobrietas et frugalitas; valde enim turpe est, ut quem non vincit homo, vincat libido, et obruatur vino, qui non vincitur ferro. *Ad Optatum Epist. 189.*

Ab imbecilliore sexu exigis fortitudinem, carnis concupiscentiam ambo habetis; qui fortior est prior vincat. *Serm. 132.*

A mate conjuges vestras, illicitum amoreu cavete. Membra Christi estis et corpus Christi. *Serm. 359.*

ARTICULUS V.

De uxore erga virum suum.

Probata sunt multa casta conjugia calamitatibus maritorum: ne aliud amare quam maritum putarentur, non solūm non deseruerunt, sed amplius obsequiae sunt. *En. in Psalm. 58.*

Non potest fieri adultera conjux, nisi inimica sit viro suo. *En. in Psalm. 92.*

Non dicant conjugatae, nos ad Christum non pertinemus. Habuerunt maritos Sanctae feminae. *Serm. 132.*

Mulier si fide conjugali violata fidem servet adultero mala est: si nec adultero, pejor est. *lib. de bon. conjug.*

Uxores tales sint, ut eis mariti non ideo placeant, quia divites, quia sublimes, quia genere nobiles, quia carne amabiles: sed quia fideles, quia religiosi, quia pudici, quia viri boni sunt. *lib. 1 de nuptiis et concupiscent.*

Quia verò non domina nec ancilla parabatur sed socia, non de capite, nec de pedibus, sed de latere erat producenda. *Epist. 99.*

Quis enim nescit uxorem marito tamquam Dominum debere servire? *lib. 22 cont. Faust. cap. 21.*

In omnibus ancillae estote virorum vestrorum subditae ad obsequium: nulla sit in vobis protervia, nulla superbia, non contumeliosa cervix, non aliqua inobedientia; prorsus tamquam ancillae servite. *lib. 50 Homiliar. vet. edit.*

Nihil de tua veste, nihil de suo auro vel argento, vel quacumque pecunia, aut rebus ullis terrenis suis sine arbitrio mariti facere debuisti. *Epist. 262.*

Non licet uxori dicere: facio quod volo de meo,
cum et ipsa non sit sua, sed capit is sui, hoc est viri
sui. *Ibidem.*

Aurum tuum vendit maritus pro necessitate sua,
ferto semina, noli litigare, noli contradicere, contemp-
tus auri tui dilectio est viri tui. *lib. 5 Homiliarum*
49 vet. edit.

ARTICULUS VI.

De parentibus et liberis, seu de paterna societate.

Domus hominis initium sive particula debet esse
Civitatis, omne autem initium ad aliquem sui generis
finem, et omnis pars ad universi, cuius est pars, integritatem refertur, satis apparet esse consequens, ut ad
pacem civicam pax domestica referatur. *lib. 19 de C.*
D. cap. 16.

Permisiò usu atque indiscreto quarumcumque mu-
lierum, homines nasci possent: sed certa necessitudo in-
ter patres et filios esse non posset. *lib. oper. imperf.*
cont. Jul. cap. 29.

Nomen Patrum familias tam latè vulgatum, ut ini-
què etiam dominantes hoc se gaudeant appellari. *lib.*
19 de C. D. cap. 16.

ARTICULUS VII.

De Parentibus erga Filios.

Regite domos vestras, regite filios vestros, regite fa-
milias vestras, ut bonam rationem reddatis de his qui
vobis sunt subditi. *En. in Psalm. 50.*

Ex lege civitatis praecepta sumere patrem familias
opportet, quibus domum suam sic regat, ut sit paci ac-
commodata civitatis. *lib. 19 de C. D. cap. 16.*

Amate filios vestros, amate conjuges vestras etsi soe-
culariter. Nam secundum Christum amare debetis, et
non in eis nisi Christum diligatis. *Serm. 349.*

Si talis quisque crudelitate effertur, ut non amet
filios suos, et non amet conjugem suam; nec inter homi-
nes numerandus est. Non enim laudandus est qui amat
filios suos, sed damnandus est qui non amat. *Serm. 349.*

Pater in filio, maritus in conjugé cum sint utriusque

christiani debent persequi vitia christianaे veritati contraria. Si non persequantur rei negligentiae merito tenebuntur. *lib. 3. cont. Cresc. cap. 51.*

Peccatum quod tibi displicet in filio tuo, delectat te; sed aetas deseruit non cupiditas. *En. in Psalm. 50.*

Quem diligit Deus corrigit: flagellat autem omnem filium quem recipit. Videmus hominem infiliis suis facere illud: aliquando desperatos filios suos dimittunt vivere, quomodo volunt: eos quos spem habent, flagellant. *En. in Psalm. 93.*

Sicut non est beneficentiae adjuvando efficere ut bonum quod majus est amittatur, ita non est innocentiae parcendo sinere, ut in malum gravius incidatur. *lib. 19 de C. D. cap. 16.*

Molestus est enim medicus furenti phrenetico et Pater indisciplinato filio, ille ligando, iste caedendo: sed ambo diligendo. *De corect. ad Donat. Epist. 185.*

Quem dimittit Pater faceret quod vult, non vult admittere ad haereditatem suam: cum autem flagellat filium, cui ipsam haereditatem servat. *En. in Psalm. 93.*

Honorandus est Pater, sed obediendum Deo. Amandus est generator, sed praeponendus est Creator. *Ibidem.*

Non enim felicitas est habere filios, sed bonos habere. De nutriendis labora, si nati fuerint: si autem non nati, age gratias Deo. *En. in Psalm. 127.*

Fili sunt parvuli, blanditiis parvulis, parvuli blandiuntur. Optas ut crescant, ut accedat aetas optas. Sed vide, quia cum accedit una, altera moritur. Veniente pueritia, moritur infantia: veniente adolescentia, moritur pueritia: veniente juventute, moritur adolescentia: veniente senectute, moritur juventus: veniente morte, moritur omnis aetas. Quot optas gradus aetatis, tot simul optas et mortes aetatum. *En. in Psalm. 127.*

Filium autem vestrum quoniam de legitimis eum, et honestis nuptiis suscepistis, magis in patris, quam in tua esse potestate, quis nesciat? Ut secundum tuam voluntatem in Dei possit nutriti et erudiri sapientia, necessaria est illi etiam vestra concordia. *Ad Maximam. Epist. 264.*

Nec ideo laudanda es, quia filios habes: sed quia pie nutrire atque educare studies. Ut tibi nascerentur, fecunditatis; ut vivant, felicitatis est: ut autem sic instuantur voluntatis et potestatis. *De bono. Viduit cap. 14.*

Patres adoptivi cautius eos corde gignunt, quos

carne non possunt. *Serm. 51 de concord. Math. et Luc.*

Qui adoptione filios castius eos corde gignunt, quos carne non possunt. Videte jura adoptionis, quomodo fit homo filius, cuius semine natus non est, ut plus in eo juris habeat voluntas adoptantis, quam natura gignentis. Serm. 51 Ibidem.

De feminis quae uxores non sunt, generant homines filios, et dicuntur filii naturales; et praeponuntur eis filii conjugales::: Castius uxor's caritas, de qua filii procreantur. Ubi vincit uxor, nisi affectu fidei, affectu conjugii, affectu sincerioris castiorisque caritatis. Ibid. Quicumque vult exheredato filio heredem facere Ecclesiam, quaerat alterum, qui suscipiat, non Augustinum. Serm. 355.

Quidam cum filios non haberet, neque speraret res suas omnes retento sibi usufructu donavit Ecclesiae. Nati sunt illi filii, et nec reddidit Episcopus opinanti, quae illi donaverat. In potestate habebat Episcopus non reddere; sed jure fori, non jure poli, id est coeli. Serm. 355.

ARTICULUS VII.

De liberis erga Parentes.

Parentes non agnoscere, et non honorare caninum est. *Serm. 8 de decem plag. cap. 4.*

Perversa et falsa innocentia est, habenas laxare peccatis. Valde inutiliter sentit filius patris lenitatem, ut postea sentiat severitatem. *En. in Psalm. 40.*

Si quoties parvuli, vel etiam grandiusculi veniam praecantes deprecati sumus, toties à parentibus vel magistris accepissemus, quis nostrum tolerandus crevisset? Providenter ista non crudeliter fiunt. *Ad Nect. Epist. 104.*

Fortè neglit filius vel monita Patris, vel objurgationem, vel severitatem: tu imple personam tuam; Deus de illo exigit suam. *En. in Psalm. 50.*

Facite vobis gradus caritatis, et cuique quod debetur, restituite. Nolite anteriora posterioribus subdere. Amate Parentes; sed praeponite Deum parentibus. Attendite Matrem Machabeorum: filii, inquit, concipere

vos potui, parere vos potui, formare non potui: illum audite, eum mihi praepone. *En. in Psalm. 93.*

Adolescentibus ejus ita vivendum est, ut à venereis rebus, ab illecebris ventris et gutturis, ab immodesto corporis cultu, et ornatu, ab inanibus negotiis ludorum, à corpore somni atque pigritia, ab emulatione, obtrectatione, invidentia, ab honorum potestatumque ambitionibus, ab ipsis etiam laudis immodica cupiditate se abstineant. Nihil enerviter faciant, nihil audaciter. *lib. 2 de ordine.*

Fili, gaude sub flagellis, quia tibi servatur hereditas. *En. in Psalm. 93.*

ARTICULUS VIII.

De servitute Herili, de Dominis et Servis.

De Servitute.

Nullus autem natura, inqua prius Deus hominem condidit, servus est hominis. *lib. 19 de C. D. cap. 15.*

Primus homo dominari voluit, quia Dominum habere noluit. Quid est dominari, nisi propria voluntate gau-

dere. *Serm. 112 de verb. Evang. Luc. cap. 14.*

Prima servitutis caussa peccatum est; ut homo homini conditionis vinculo subderetur; quo non sit nisi Deo judicante. *lib. 19. de C. D. cap. 15.*

Conditio servitutis jure intelligitur imposta peccatori. Nomen itaque istud culpa meruit, non natura. *lib. 19 de C. D. cap. 15.*

Talis servitus qua homines hominibus esse servi eae perunt, de poena peccati reperitur exorta. *lib. 11 de Gen. ad litt. cap. 37.*

Origo vocabuli servorum in latina lingua inde creditur ducta, quod hi qui jure belli possent occidi à victoribus cum servabantur, servi fiebant, à servando appellati. *lib. de C. D. cap. 13.*

Omnis servitus amaritudine plena est, omnes conditione servili obligati, et serviunt et murmurant. *En. in Psalm. 99.*

ARTICULUS IX.

De Dominis.

Deus solus est verus Dominus: qui servo non indiget, et quo servus indiget. *Epist. ad Marcellin. 138.*

Magnum aliquid adeptum se putat, si etiam sociis,
id est, aliis hominibus dominari potuerit. *lib. i de doci.*

Ambros. cap. 23

Inest vitioso animo id magis appetere, et sibi tamquam debitum vindicare, quod uni propriè debetur Deo.
lib. i de doctrin. Christ. cap. 23.

Imperant qui aliis consulunt, sicut vir uxori, Domini servis. Obediunt quibus consultitur. Sed in domo justi etiam qui imperant serviunt eis, quibus videntur imperare. *lib. de C. D. cap. 14.*

Habuerunt servos justi patres nostri, sic administrabant domesticam pacem, ut secundum haec tempora lia bona, filiorum sortem à servorum conditione, distinguerent. *lib. i9 de C. D. cap. 16.*

Nec dominandi cupiditate imperant justi, sed officio consulendi, nec principandi superbia, sed providendi misericordia. *lib. i9 de C. D. cap. 14.*

Sicut prodest humilitas servientibus, ita nocet superbia dominantibus. *Ibidem cap. 14.*

Magis debent patres quòd dominantur, quam servi tolerare quòd serviunt. *lib. i9 de C. D. cap. 16.*

Verè Dominator est terrae, qui carnem suam regit

Iegibus disciplinae. *En. in Psalm. 75 n. 28.*

Malum Dominum in te time, hoc est cupiditatem tuam: non quod in te Deus fecit sed quod tibi ipse fecisti. Te Dominus bonum servum fecit, tu tibi in corde tuo malum Dominum creasti. *En. in Psalm. 61.*

ARTICULUS X.

De Servis.

Servi jubentur servare fidem dominis suis et ferre dominos indignos et iniquos et difficiles, ut Dominis suis subditi sint. *En. in Psalm. 65.*

Felicius servitur homini, quam libidini. *lib. 19 de C. D. cap. 15.*

Si servi non possunt à Dominis liberi fieri, suam servitutem ipsi quodammodo liberam faciant, non timore subdolo, sed fideli dilectione serviendo, donec transeat iniquitas, et evacuetur omnis principatus, et potestas humana, et sit Deus omnia in omnibus. *lib. 19 de C. D. cap. 15.*

Noli servire cum murmure; non enim id agunt

murmura tua, ut non servias, sed ut malus servus servias. *En. in Psalm.* 99.

Melior est status ejus, qui famulatur homini quam qui suae servit cupiditati. *lib. 19 de C. D. cap. 14.*

Est major potestas; illi subdamur, ut tibi esse valamus. *Serm. 112 de verb. Evang. Luc. 14.*

Servitus quibusdam utilis; cum improbis aufertur injuriarum licentia, et domiti se melius habebunt, quia indomiti deterius se habuerunt. *lib. 19 de C. D. cap. 21.*

Libera servitus est apud Deum, libera servitus, ubi non necessitas, sed caritas facit. *En. in Psalm. 99.*

Verè Dominator est terrae, qui eam suam regit legibus disciplinae. *En. in Psalm. 75 n. 18.*

De Civitate et Republica.

Populus est coetus multitudinis rationalis, rerum quas diligit communione concordi sociatus. *lib. 19 de C. D. cap. 24.*

Populum non omnem coetum multitudinis, sed coetum juris consensu et utilitatis communiore sociatum esse, dicimus. *Ibidem.*

~~192~~ Cum castis, honestis ac probis moribus prepollet civitas, bonè verèque florere dicenda est. *Ad Nectar. cap. 91.*

~~msup~~ Hic etiam laudabilis reipublicae salus: neque enim conditur et custoditur optime civitas nisi fundamento et vinculo fidei, firmae que concordiae, cum bonum commune diligitur. *Epist. ad Volus. 137.*

~~193~~ Si respublica res populi est, et non est populus qui consensu non sociatus est juris, non est jus, ubi nulla justitia est. Si sibidem nec populus, nec res populi, sed qualiscumque multitudinis, quae populi nomine digna non est. *lib. de C. D. cap. 7.*

~~194~~ Quis vos ferret nisi unum saperetis? Unde in multis requies? Da unum et populus est: tolle unum et turba est. Quid est enim turba nisi multitudo turbata? *Serm. 103 de verb. Evang. Luc. 10.*

Nihil tam inimicum quam injustitia civitati, ne omnino nisi magna justitia gerri, aut stare posse rem publicam. *Serm. 103 de Verbis Evang. Luc. cap. 3.*

Ubi non est justitia, profectò non est populus, seu coetus hominum juris consensu et utilitatis communione socieatus. *lib. 19 de C. D. cap. 23.*

Ut videatur qualis quisque populus sit, illa sunt

intuenda, quae diligit: tantò ubique melior quantò in melioribus; tantoque deterior, quantò est in deterioribus concors. *lib. 19 de C. D. cap. 24.*

Prorsus divina Providentia regna constituuntur humana. *lib. 5 de C. D. cap. 1.*

Civitas Romana pro regno Romano. Sicut universum regnum in tot civitatibus constitutum, dicitur Romana civitas. *lib. 2 de consens. Evang. cap. 25.*

Quidquid sceleris et iniquitatis inebriat multitudinem, amittit examinis veritatem. *lib. 3 cont. Epist. Parmen. cap. 2.*

Si domus commune perfugium in his malis humani generis tuta non est, quid civitas, quae tanto major est, tanto forum ejus litibus et civilibus et criminalibus plenius? *lib. 19 de C. D. cap. 4.*

Ipsa imperii latitudo peperit pejoris generis bella socialia et civilia; quibus miserabilius quatitur genus humanum, sive cum belligeratur, ut aliquando conquistant; sive cum timetur, ne rursus exurgat. *lib. 19 de C. D. cap. 7.*

Dum id quod respublica appetitur aut nemini, aut non omnibus sufficit, quia non est id ipsum, aduersum

se ipsam plerumque dividitur, et pars partem, quae praevalet opprimit. Victrici victa succumbit, dominationi scilicet, vel libertati qualemcumque pacem preferens ac salutem. *lib. 8 de C. D. cap. 2.*

Sicut aquarum congeries, ita societas, quantò major est, tanto periculis plenior. *lib. 2 de C. D. cap. 7.*

~~Et~~ Spiritus Junonis et spiritus Herculis divisi sunt adversum se, et ambo pertinent ad regnum Diaboli: ideo non stabit regnum ejus. *Serm. 71 de verb. Evang. Math. 12.*

Longè aliter iste, aliter vitiosa curanda et sananda est multitudo, ne fortè si plebs à plebe separetur, per schismatis nefas etiam triticum eradicetur. *lib. 1 ad Donatite.*

Inter plurima regna terrarum, inquae terrenae utilitatis vel cupiditatis est divisa societas (quam Civitatem mundi hujus universalis vocabulo nuncupamus) duo regna cernimus longe caeteris provenisse clariora, Assiriorum primum, deinde Romanorum. *lib. 8 de C. D. cap. 2.*

Tunc est respublica, cum benè ac justè geritur, sive ab uno rege, sive à paucis optimatibus, sive ab universo populo. *lib. 2 de C. D. cap. 21.*

Vera autem justitia non est, nisi in ea republica, cuius conditor et Rector Christus est, de qua scriptura sancta, dicit: gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei. *lib.*

19 de C. D. cap. 24. *De concordia civitatis sive Reipublicae.* *Murmen.*

Civitas nihil aliud est quam hominum multitudo aliquo societatis vinculo coligata. *lib. 15 de C. D. cap. 8.*

Civitas propriè in hominibus habitantibus intelligitur: illi qui in eam intrant tamquam vivi lapides sunt; non enim verè lapides sunt. *En. in Psalm. 121.*

An putatis civitatem in parietibus deputandam? Civitas in civibus est, non in parietibus. *Serm. de Urb. ex-cid. cap. 6.*

Rupto concordiae vinculo Civitas labitur. *Ad Marcellin. Epist. 118.*

Quid enim est respublica nisi res populi? Res ergo communis, res utique civitatis. Quid est autem Civitas nisi multitudo hominum in quoddam vinculum redacta concordiae. *Ad Marcellin. Epist. 138.*

Si tollantur de medio mala hominum, et honoren-

tur in hominibus bona Dei erit fraterna concordia et amabilis pax, ut in cordibus hominum vincat persuasio-
nem Diaboli caritas Christi. *Ad Sever. Epist. 62.*

Quaevis multitudo eò minus vincitur, quò magis
in unum coit. *lib. 2 de ord. cap. 18.*

Neque laudabilis reipublicae salus, neque conditur
et custoditur optimè civitas nisi fundamento et vinculo
fidei firmae que concordiae. *Ad Volus. Epist. 137.*

Sacrilegium schismatis omnia scelera superat. *Cont.
Epist. Parm. lib. 1.*

Quae armonia à musicis dicitur in cantu eam esse in
civitate concordiam. *lib. 2 de C. D. cap. 21.*

Concordia ab omnibus laudatur, à paucissimis cus-
toditur. *Serm. 359 de concord.*

Quis enim est, qui non congaudet concordibus fra-
tribus? Et quod dolendum est in rebus humanis, tam
magna res rara est. *Serm. 359 de concord.*

Neque quia et in orbe terrarum plerumque regna
dividuntur humana, ideo Christiana unitas dividitur,
cum in utraque parte catholica inserviatur Ecclesia.
Tract. 95 in Joann. n. 2.

Est ratio rectissima caritatis, ut homines quibus esset

utilis honesta concordia, diversarum necessitudinum vinculis necterentur. *lib. 15 de C. D. cap. 16.*

Illi filii mali sunt, qui non odio iniquitatum alienarum, sed studio contentionum suarum infirmas plebes jactantia sui nominis irretitas, vel totas trahere, vel certe dividere affectant. *lib. 3 cont. Epist. Parmen. cap. 2.*

Nimis amando sententiam suam, vel invidendo melioribus, usque ad praescindendae communionis, et condendi schismatis sacrilegium pervenire, diabolica presuntio est. *lib. 2 de Baptism. cont. Donat. cap. 3.*

Sicut conjunctio corporum fit per continuationem locorum, sic animarum quidam contactus est consensio voluntatum. *lib. 1 de Bapt. cont. Donat. cap. 11.*

Quaerant possessionem, quae dividi non potest, et semper concordes erunt. *Serm. 359.*

Non amant pacem qui dividunt unitatem. *En in Psalm. 84.*

Pax Civitatis ordinata imperandi atque obediendi concordia civium. Pax omnium rerum tranquilitas ordinis. *lib. 19 de C. D. cap. 13.*

Omnis igitur usus rerum temporalium refertur ad

fructum terrenae pacis in civitate terrena. lib. 19 de C.

D. cap. 14.

Nullo modo aliquid legibus summi illius Creatoris Ordinatorisque substrahitur, à quo pax universitatis administratur. *Ibidem cap. 13.*

Pacis igitur intentione geruntur et bella, ab his etiam qui virtutem bellicam student exercere, imperando atque pugnando. lib. 19 de C. D. cap. 12.

De pace domestica.

Tantum est enim pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis, atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nil desiderabilius concupisci, nil postremo possit melius inveniri. lib. 19 de G. D. cap. 11.

Sicut nemo est qui nolit gaudere, ita nemo est, qui pacem habere nolit. lib. 19 de C. D. cap. 22.

Pacem cum suis omnes habere cupiunt, quos ad suum arbitrium volunt vivere. *Ibidem cap. 12.*

Pax domestica est ordinata imperandi obediendi que concordia cohabitantium. lib. 19 de C. D. cap. 14.

Laudandi sunt qui amant pacem; qui autem odi-

runt, melius interim docendo ac tacendo peccandi quam vituperando provocandi. Verum pacis amator inimicorum ejus amator est. *Serm. 357.*

Ubi pax, ibi requies: ubi requies, ibi finis appetendi et nulla causa laborandi. *Epist. 127 ad Armen et Paul. Episcop.*

Amemus pacem quam omnis doctus et indoctus intelligit praeponendam esse discordiae: diligamus et teneamus unitatem. *Epist. 105 ad Donat.*

Violant sanè quietem et pacem suam de superflua quaestione rixando. *lib. ad inquisit. Januar. Epist. 14.*

Utrisque justitia et pax necessaria: et fieri potest, ut alio nomine appellata sit ipsa justitia. Haec est vera pax, non qualem injusti inter se faciunt. *En. in Psalm. 71.*

Inimicus es amicae meae, dicit tibi pax, quid me quaeris? Amica sum justitiae, quemcumque invenero inimicum amicae meae non ad illum accedo. *En. in Psalm. 84.*

Unde inter fratres discordia? Unde unus uterus, et non unus animus? Nisi dum curvatur anima eorum et partem suam quisque respicit, et parti suae opinandae et exaggerandae operam impedit. *Serm. 359 de concord.*

Nulli fratres non laudant concordantes fratres. Et unde fratres concordes esse difficile est? quia litigant de terra, quia volunt esse terra. *Serm. 359 de concord.*

Homines faciles sunt ad irrogandas injurias, et difficiles ad concordiam requirendam. *Serm. 82.*

Non tenebit sanitatem pacis animus, qui discordiis et certaminibus pascitur. *lib. de cathech. rud.*

Vera pax, ubi nihil adversi, nec à seipso nec ab alio quisquam patietur. *lib. 22 de C. D. cap. 5.*

Malunt perversis vocibus veritati reluctari, quam confessis terroribus paci restitui. *lib. 2 cont. Donat. cap. 13.*

Servum Dei non opportet litigare, sed esse mitem ad omnes, docibilem, in modestia corripientem diversa sentientes. *lib. 2 cont. litt. Pett. cap. 53.*

Pax vero incertum bonum, quoniam corda eorum cum quibus eam tenere volumus, ignoramus. *lib. 19 de C. D. cap. 5.*

Qui certaminibus delectantur, alienabuntur à pace, et summis difficultatibus implicabuntur. *lib. de ver. Relig. cap. 47.*

Quis securus est, cum tanta saepè mala ex occultis in-

sidiis extiterint; tanto amariora, quanto pax dulcior fuit
quae vera putata est, cum astutissime fingeretur. lib.
19 de C. D. cap. 5.

Multum valet ad propitiandum Deum fraterna con-
cordia. lib. 2 cont. Donat. cap. 3.

Origo et pertinacia schismatis nulla alia est, nisi
odium fratris. lib. 1 de bapt. cont. Donat. cap. 5.

Non enim transit ad summam pacem, ubi summum
silentium est, nisi qui magno strepitu prius cum suis vi-
tiis belligeraverit. En. in Psalm. 9. b

Domus terrena cohabitatores multos non capit: po-
sessio pacis cum multis habitatoribus crescit. Serm. 357.

Qui falsam pacem pronuntiant in populo, et non
illam habent; quibus respondeatur, cum dixerint; pax vo-
biscum, et cum spiritu tuo, falsum dicunt et falsum au-
diunt. En. in Psalm. 124.

Omnis homo belligerando pacem requirit: nam et
illi qui pacem in qua sunt, perturbari volunt, non pa-
cem oderunt, sed eam pro arbitrio suo cupiunt commu-
tari. Non ut sit pax nolunt, sed ut ea sit quam volunt.
lib. 19 de C. D. cap. 12.

etiam exstirpantur; tuncque summo datusq[ue] p[ro]x[imo] fuit

CAPUT II. sive iudecetur. lib. 10. q[ui] de C. D. cap. 10.

ARTICULUS I.

*De summo Imperio, sive de suprema Jurisdictione
et Potestate.*

Non tribuamus dandi regni atque imperii potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno coelorum solis piis: regnum vero terrenum et piis et impiis; sicut ei placet, cui nihil injuste placet. *lib. 5 de C. D. cap. 21.*

Reges à regendo melius dicti videantur, ut regnum à Regibus, Reges autem à regendo, ut dictum est. *lib. 5 de C. D. cap. 12.*

Nihil interest sub quo Rege vivat homo; si illi qui imperant ad impia et iniqua non cogant. *lib. 4 de C. D. cap. 7.*

Omnis enim dominatus hominum in homines, aut dominantium, aut servientium morte finitur. *lib. de ver. Relig. cap. 55.*

Qui enim perit de via justitiae cum magna miseria

per vias iniquitatis errabit. *En. in Psalm. 2.*

Noli aviditate imperandi ponere tibi ante oculos provincias latissimas, quā tu regna diffundas. Terram, quam portas rege. *En. in Psalm. 75.*

Sublimitas quantò altior, tantò periculosior. Ideo que Reges quantò sunt in majore sublimitate terrena, tantò magis humiliari Deo debent. *En. in Psalm.*

137. Humilia te. Tantò a te Deus altior erit, quantò tu elatior. *Ibidem.*

Terror temporalium potestatum, quando veritatem oppugnat, justis fortibus gloria probatio est, infirmis perniciosa tentatio. *Epist. 93 ad Vincetum Rogatistam.*

Aliter Domino servit, quia homo est, aliter quia Rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter: quia verò etiam Rex est, servit leges justa praecipientes et contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo. *De correct. Donat. lib. ad Bonif. Epist. 185.*

Nolite tristes esse, Reges terrae: id enim vobis expedit, ut sub illo sitis, à quo intellectus et eruditio vobis datur: ut non temerè dominemini, sed Domino om-

nium cum timore serviatis , et exultetis in beatitudine certissima, et sincerissima, cauti et circumspicientes ne ab ea per superbiam decidatis. *En. in Psalm. 2.*

Non se extollant homines in suis dignitatibus, non se sublimes putent honoribus ; caveant ne equo indomito praecipitentur. *En. in Psalm. 147.*

Malorum regnum magis regnabitibus nocet, qui suos animos vastant scelerum majorum licentia : his autem qui eis serviendo subduntur, non nocet nisi iniquitas propria. *lib. 4 de C. D. cap. 3.*

Qui vera pietate praediti benè vivunt, si habent scientiam regendi populos, nihil est felicius rebus humanis. *lib. 5 de C. D. cap. 19.*

Omnes homines servire Deo debent, aliter communis conditione, qua homines sunt, aliter diversis donis, quòd ille aliud agit in rebus humanis; ille aliud. Habent Reges, excepta generis humani societate, eo ipso quo Reges sunt, unde sic Domino serviant, quomodo non possunt qui Reges non sunt. *Ibidem.*

Regi licet in civitate, cui regnat jubere aliquid, quod neque ante illum quisquam, nec ipse umquam juss erat, et non contra civitatis societatem ei obtemperatur ; im-

mo contra societatem non obtemperatur. Generale quippe pactum est societatis humanae obedire regibus suis.
lib. 3 Confes.

Nemo dubitat, facilè inveniri hominem, qui timeat se fieri regem: nullus autem invenitur, qui se nolit esse felicem. *lib. de C. D. cap. 23.*

Per virtutem scilicet, non per fallacem ambitionem ad honorem et imperium pervenire licet. Via virtus est, et ideo melior est virtus, quae humano testimonio contenta non est, nisi conscientiae suae. *lib. 5 de C. D. cap. 12.*

Quando Imperatores veritatem tenent, pro ipsa veritate contra errorem jubent, quod quisquis contemserit, ipse sibi adquirit judicium. Nam et inter homines poenas luit, et apud Deum frontem non habebit, qui hoc facere noluit, quod ei per eorū Regis ipsa veritas jussérunt. *Epist. 15 ad Donatist.*

Imperator in unoquoque hominum intus est, in corde sedet: si bona jubet bonus, bona fiunt; si malus mala jubet, mala fiunt. *En. in Psalm. 148.*
 Libido dominandi magnis malis agitat et conterit mundum et genus humanum. Hac libidine Roma vic-

ta Albam se vicesse triumphabat, et sceleris laudem gloriam nominabat. lib. 3 de C. D. cap. 19.

Qui contemtor est gloriae, dominationis est avidus, bestiis superat, sive crudelitatis vitiis, sive luxuriae. Hujus vitii summitatem, et quasi arcem Nero Caesar primus obtinuit. lib. 5 de C. D. cap. 19.

ARTICULUS II.

Principis Christiani elegans idea.

Felices Principes dicimus eos, si justè imperant, si inter linguas sublimiter honorantium, et obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, sed se homines esse meminerunt; suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum, majestati ejus famulam faciunt; si Deum timent, diligunt, colunt; si plus amant illud regnum, ubi non timent habere consortes; si tardius vindicant, facile ignoscunt; si eamdem vindictam tam pro necessitate regendae tuendaeque reipublicae, non pro saturandis inimicitiarum odiis exserunt; si eamdem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent; si quod asperè coguntur plerum-

que decernere, misericordiae lenitate et beneficiorum largitate compensant; si luxuria tanto eis est castigatior, quanto posset esse liberior; si malunt cupiditatibus pravis, quam quibuslibet gentibus imperare: et si haec omnia faciunt non propter ardorem ianis gloriae, sed propter caritatem felicitatis aeternae: si pro suis peccatis, humilitatis et miserationis et orationis sacrificium Deo suo vero inmolare non negligunt. Tales Christianos Imperatores dicimus esse felices interim spe, postea re ipsa futuros, cum idquod spectamus advenerit. *lib. 5 de C. D. cap. 24.*

ARTICULUS III.

De Magistratibus et de eorum potestate.

Quicumque homines vultis habere in homines potestatem; erudimini, ne perverse judicetis, et ante in anima pereatis, quam quemquam in carne perdatis. *Serm. 13 et 14 de Psalm. 9.*

Erudimini omnes, qui judicatis terram, et bene judicando non à terra praemium, sed ab illo expectate qui fecit coelum et terram. *Ibidem.*

Diligite et judicate. Non enim sic quaeritur innocentia, ut pereat disciplina. *Serm.* 13.

Prius propter te esto iudex in te: prius judica de te, ut de penetrali conscientiae securus procedas in alterum. *Ibidem.*

Ille justus punitor, qui non habet quod in illo puniatur; ille justus reprehensor, qui non habet quod in illo reprehendatur. *En. in Psalm.* 50.

Sicut disciplinam qui abjicit, infelix est: sic disciplinam qui negat, crudelis est. *Serm.* 13.

Non prohibeo lapidari, quem lapidari lex jussit; sed quaero a quibus. Non resisto, sed legis ministrum requireo. *Ibidem.*

In illud saevi quod tibi displicet et inte; non in eum qui factus est sicut tu. *Serm.* 13.

Si superbis, superbi in peccata, non in hominem. In illud saevi, quod tibi displicet inte, non in eum qui factus est sicut tu. *Serm.* 13.

Parem quippe suum judicat, homo hominem, mortalis mortalem, peccator peccatorem. Procedat in medium Dominica illa sententia. Qui sine peccato est prior in illam lapidem mittat. *Ibidem.*

Si Reges judicant terram, et quisquis sub regibus potestatem accepit à Regibus, erudiantur et ipsi.
Serm. 13.

Ibi enim probare te volo integrum judicem, ubi non quaeris testem. *Ibidem.*

Non sibi faciant homines judices, ne veniant in manus veri judicis. *Serm. 196.*

Ignorantia judicis plerumque est calamitas innocentis. *lib. 19 de C. D. cap. 6.*

Quando judicas, dilige hominem, oderis vitium. Noli propter hominem diligere vitium, nec propter vitium odisse hominem. *Serm. 49 in Micheam.*

Esto ergo judex terrae, et ama terrę, sed dilige. *Serm. 13 et 14 de Psalm. 9.*

Quid perdis non amando quem judicas? Justitiam perdis. Adhibeantur poenae animo amantis, animo diligenter, animo corrigentis. *Ibidem.*

Qui justissimè victus est, ea caecitate de innocentie judice murmurat, qua caecitate cum innocentie adversario litigabat. *Cont. Parmen. lib. 1.*

Qui judicat et condemnat injuste, si judicatur et condemnatur juste in eadem mensura recipit, quamvis

non hoc quod dedit. *lib. 21 de C. D. cap. 11.*

Judicio enim fecit, judicio patitur, quamvis fecerit damnatione quod iniquum est, patitur damnatione quod justum est. *Ibidem.*

Supplicium judex irrogat reo, causa tamen supplicii non est justitia judicis, sed meritum criminis. *lib. 4 de Trinit.*

Quando quidem hi judicant, qui conscientias eorum, de quibus judicant, cernere nequeunt. Unde saepe coguntur tormentis innocentium testium alienam causam pertinentem quaerere veritatem. *lib. 19 de C. D. cap. 6.*

In his tenebris vitae socialis, sedebit judex, an non sedebit? Sedebit planè. Constringit eum, et ad hoc officium pertrahit humana societas, quam deserere nefas dicit. *lib. 19 de C. D. cap. 6.*

Haec facit sapiens judex non nocendi voluntate, sed necessitate nesciendi, et tamen quia cogit humana societas, necessitate judicandi. *Ibidem.*

In persecundis vitiis, et delictis ubi nulla ex divinis humanisve legibus potestas conceditur, nihil improbe atque imprudenter audeatur. *lib. 3 cont. Crescon. cap. 51.*

Qui alternos dies judicat homo est: potest hodie aliud cras aliud judicare. Qui autem omnem diem, Deus est, quia non solum qualis quisque sit; sed etiam qualis omni die futurus sit, novit. *Expositus quarundam propriorum Epist. ad Rom.*

Corripiendi non dormiat diligentia; disciplina exerceatur, judicium non praecepitur. *Serm. 44 in Exod. quiet. 34.*

Quod est intolerabilius, magisque plangendum, rigandumque si fieri posset fontibus lacrimarum; cum propterea judex torqueat accusatum, ne occidat nesciens innocentem, fit per ignorantiae miseriam, ut et tortum et innocentem occidat. *lib. 19 de C. D. cap. 6.*

Unde inflantur homines, judicandi de capitibus humanis, ferendi sententias de innocentibus et nocentibus? Potestatem dedit eis filios Dei fieri. Non erant filii, et sunt filii. Soleo audire in potestate esse judicis mollire sententiam, et mitius vindicare, quam jubeant leges. Si nec litteris meis ad hoc consenserit, hoc saltem praestet, ut in custodiā recipientur, atque hoc de clementia Imperatorū impetrare curabimus, ne passiones servorum Dei inimicorum sanguine dishonestentur. *Ad Marcell. Epist. 139.*

Prodest ergo et severitas vestra , cujus ministerio quies adjuvatur et nostra : prodest et intercessio nostra, cujus ministerio severitas temperatur et vestra. *Ad Maled. Epist. 153.*

Si ego qui semper judico, et qui falli non possum, differo judicium meum, tu ignorans quemadmodum judicandus sis , audes tam praepropere judicare? *Serm. de orvibus in Ezequiel. 34.*

CAPUT III.

De Ducibus et Militibus belligerantibus.

De bello et de bellis civilibus.

ARTICULUS I.

De Militibus belligerantibus.

Hoc primum cogita, quando armaris ad pugnam, quia virtus tua etiam ipsa corporalis donum Dei est. *Ad Optatum Epist. 189.* Fides enim quando promittitur, etiam hosti ser-

vanda est, contra quem bellum geritur, quanto magis amico pro quo pugnatur. *Ad Optatum Epist.* 189.

Sicut rebellanti et resistanti violentia redditur, ita victo vel capto misericordia jam debetur, maximè in quo pacis perturbatio non timetur. *Ibidem.*

Hostem pugnantem necessitas perimat non voluntas. *Ibidem.*

Plerique milites, quos imperialis disciplina condemnat signis imperatoris sui non nullos possesores terrant, et ab eis aliquid quod publicè non jubetur, extorquent. *lib. de divers. quaest.* 83.

Nequaquam contra hoc praeceptum. Non occides fecerunt, qui Deo auctore bella gesserunt, aut personam gerentes publicae potestatis secundum ejus leges, id est, justissimae rationis imperium, sceleratos morte punierunt. *lib. 1 de C. D. cap. 21.*

Noli existimare neminem Deo placere, qui in armis bellicis militat. In his erat Sanctus David. In his etiam plurimi illius temporis justi. *Ad Bonifacium Epist.* 109.

Bellare non omnibus fas est : belli suscipiendi auctoritas, et consilium penes Principem, exsequendi ministerium penes milites esse debet. *Tom. 8 fol. 405.*

Triumphat victor Imperator, et non vicisset, nisi pugnasset: et quantò majus periculum fuit in praelio: tantò majus est gaudium in triumpho. *lib. 8 confes. cap. 3.*

Felicitas major est, vicinum bonum habere concordem, quam vicinum malum subjugare bellantem. *lib. 4 de C. D. cap. 15.*

Plus enim hostis vincitur, in eo quem plus tenet et de quo plures tenet. *lib. 8 confes. cap. 3.*
Esto ergo bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas. *Ad optat. Epist. 189.*

Misericorditer si fieri possent, etiam bella gerentur à bonis, ut licentiosis cupiditatibus domitis haec via penderentur, quae justo imperio vel extirpari vel premi debuerunt. *Ad Marcellin. Epist. 138.*

ARTICULUS II.

De bello.

Initium enim summae difficultatis est bellum atque contentio. *lib. de ver. Relig. cap. 54.*

Non enim pax quaeritur, ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut pax adquiratur. *Ad optatum Epist.*

Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas, ut liberet Deus à necessitate et conservet in pace. *Ibidem.*

Inferre bella finitimus, et inde caetera procedere, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate contere, grande latrocinium. *lib. 4 de C. D. cap. 15.*

Qui certaminibus delectantur, alienabuntur à pace, et suminis difficultatibus implicabuntur. *lib. de ver.*

Relig.

Adquirere pacem non bello majoris est gloriae. *Tom. 2. fol. 836.*

Bellorum miserias quisque vel patitur eas sine animi dolore, vel cogitat; humanum perdidit sensum. *lib. 19 de C. D. cap. 7.*

Vir justus, si fortè sub rege homine sacrilego militet, rectè potest, illo jubente, bellare civicae pacis ordinem servans, cui quod jubetur, vel non esse contra Dei praecepta certum est vel utrum sit, certum non est: Ita fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi. *lib. 22 cont. Faust.*

ARTICULUS III.*De bellis civilibus.*

Crudelia bella civilia, omnibus bellis amariora. lib.

3 de C. D. cap. 30.

Bellis civilibus miserabiliter quatitur genus huma-
num, sive cum belligeratur, ut aliquando conquescant,
sive cum timetur, ne rursus exurgat. *lib. 19 de C. D.*
cap. 7,

Ex quacumque sui parte adversus alteram sui par-
tem civitas bellando surrexerit, quaerit esse victrix,
cum sit captiva vitiorum. *lib. 15 de C. D. cap. 4.*

Recolant quid detrimenti Romanis bella civilia,
quàm variis eventis, quàm luctuosis cladibus à veteri-
bus sint gesta Romanis, sicut solet orbis terrarum velut
procellosissimum pelagus varia talium malorum tempes-
tate jactari; et quod nolunt, aliquando fateantur, nec
decipient imperitos. *lib. 5 de C. D. cap. 22.*

Pax cum bello de crudelitate certavit et vicit. Illud
enim prostravit armatos, ista nudatos. Bellum erat, ut

qui feriebatur, si posset, feriret: pax autem, non ut qui evaserat, viveret, sed ut moriens non repugnaret. lib. 3 de C. D. cap. 18.

Bella socialia, bella seryilia, bella civilia quantum Romanum cruentum fuderunt, quantam Italiae vastationem desertionemque fecerunt? Quanta animalia humanis usibus subdita, canes, equi, asini, boves, et quaequa alia pecora sub hominum dominio fuerunt, subito efferata, et domesticae lenitatis obliterata, relictis tectis libera vagabantur, et omnem non solum aliorum, verum etiam dominorum adversabantur accensum. lib. 3 de C. D. cap. 33.

Hominem sine ferro lanantium manus diripuerunt, immantius homines hominem vivum, quam bestiae solent discerpere cadaver abjectum. lib. 3 de C. D. cap. 28.

Haec facta sunt in pace post bellum, non ut acceleraretur obtinenda victoria, sed ne contemneretur obtenta. *Ibidem.*

Quae ab hostibus aspera et dura perpessi sunt, divinae providentiae tribuamus, quae solet corruptos hominum mores bellis emendare atque conterere. lib. 1 de C. D. cap. 1.

CAPUT IV.

ARTICULUS I.

De divitibus et divitiis.

Nemo vult esse dives, nisi ut infletur inter eos inter quos vivit, et superior illis videatur. *En. in Psalm. 48.*
Divites quaerunt unde arcam impleant. En. in Psalm. 21.

Divites christiani, prorsus si christiani sunt pauperes sunt, in comparatione divitiarum coelestium, quas sperant, omne aurum suum arenam deputant. *En. in Psalm. 68 Serm. 2. Digni sunt divites.*

Omnis autem copia quae Deus non est, egestas est. *lib. 22 Conf. cap. 8.*

Multó mirabilius est non inherere divitiis, quamvis possideas, quam omnino eas non possidere. *lib. 1 de morib. Eccles. cap. 33.*

Divitiae si diliguntur, ibi serventur, ubi perire non possunt. Honor si diligitur, illic habeatur, ubi nemo

indignus honoratur. Salus si diligitur, ibi adipiscenda desideretur, ubi adeptae nihil timetur. *Epist. 127 ad Arm. et Paul. Episcop.*

Pecunia vero et à malis malè habetur, et à bonis tantò melius habetur, quantò minus amatur. *Epist. 153 ad Maced.*

Divitiae soeculares si desunt, non per mala opera quaerantur in mundo; si autem adsunt, per bona opera serventur in coelo. *Epist. 189 ad Optat.*

Animum virilem et Christianum nec debent, si accedunt extollere; nec debent frangere, si recedunt.

Ibidem.

Licet sequatur te prosperitas soeculi, tu nigli mari credere, nec ridenti. Divitiae si affluant, si abundant, calca eas, et suspendere ex Deo tuo. Cum eas subter te habueris, et ex illo pependeris, cum fuerint subtractae non cades. *En. in Psalm. 53.*

Sunt verae divitiae quando nobis nihil de erit. *En. in Psalm. 68 Serm. 1.*

Cum autem superflua quaeraris, compedes tuas onerare desideras. *En. in Psalm. 68 Serm. 1.*

Digni sunt divites, ut Deus in civitate sua imagi-

nem illorum ad nihilum redigat, quia et ipsi in civitate terrena imaginem Dei ad nihilum redegerunt. *En. in Psalm. 72.*

Vita haec qualibet redundans felicitate multos fahit, Deus neminem. *En. in Psalm. 72.*

Dormierunt in cupiditatibus suis: et nihil invenerunt in manibus suis, quia nihil posuerunt in manibus Christi. *En. in Psalm. 75.*

Si rerum temporalium prosperitas adjacet, non propter ipsam Deo, sed ipsam utimini propter Deum. *En. in Psalm. 105.*

Divitias quaerit qui non vult dare pauperibus. *En. in Psalm. 112.*

Qui divitias falsas desiderat, veras non quaerit. *En. in Psalm. 122.*

Non sunt illae divitiae, sed mendicitas: quia quanto magis abundant, tanto crevit inopia et avaritia. *En. in Psalm. 122.*

Quando laudatur dives, quid dicitur? Nihil illi de est: adtende, si nihil deest. Si nihil cupit, nihil illi de est: si adhuc cupit majora, ad hoc accesserunt divitiae, ut egestas cresceret. *En. in Psalm. 122.*

Egent divites soeculi, desideriis vastantur, cupiditatibus dissipantur, timoribus cruciantur, tristitia contabescunt. *En. in Psalm. 83.*

Aurum Deus fecit, et te super aurum fecit : aurum fecit ad subsidium tuum, et te ad imaginem suam. Vide quod supra te est, et calca quod infra te est. *En. in Psalm. 123.*

Fecit Deus pauperem ut probet hominem, et fecit Deus divitem, ut probet illum de paupere. *Ibidem.*

Pecunia mihi est, non inde auxilium habebitis. Multi propter pecuniam perierunt et praecipitati sunt. *Ibidem.*

Quantò eris ditior, tantò timidior, Uno naufragio nudus exibis. *En. in Psalm. 136.*

Multis gaudent lucris, et flent damnis, utrumque de Babilonia est. *Ibidem.*

Superflua divitum necessaria sunt pauperum. Res alienae possidentur, cum superflua possidentur. *En. in Psalm. 147.*

Divitiae illae quas putatis plenas esse deliciarum, pliores sunt periculorum. *Serm. 14.*

Discite terrena contemnere, si vultis Deo fideli corde servire. *Serm. 19.*

Divitiae verae immortalitas, ibi enim vera copia, ubi nulla indigentia. *Serm. 36.*

Dives in conscientia securior dormit in terra, quam dives in purpura. *Serm. 36.*

Accipit quisque à te supplex pauper, quia si te superbe dare non decet, quanto magis illum superbe non deceat accipere? Accipit humiliter, accipit gratias agens. *Serm. 389.*

Superflua tua necessaria sunt aliis, qui plus habet, plus faciat. *Serm. 40.*

Tantò magis quisque ardebit egestate, quanto magis divitias majores diligens habuerit. *Serm. 50.*

Major pecunia fauces avaritiae non claudit, sed extendit: non irrigat, sed accendit. *Ibidem.*

Quomodo sunt divitiae, quibus crescentibus crescit inopia; quae amatoribus suis, quanto fuerint ampliores, non afferunt satietatem, sed inflamant cupiditatem? *Ibidem.*

Abjiciamus vel videamus quia falsa sunt, vel doleamus quia magna existimentur. *Serm. 41.*

Sine caritate dives est pauper, et cum qua pauper dives est. *Serm. 349.*

Quidquid nobis temporaliter mundus arridet, magis est periculum, quam ornamentum nostrum. *Serm. 314.*

Dives et pauper duo sibi contraria sunt; sed iterum duo sibi sunt necessaria. Nullus indigeret, si ambo se invicem supportarent; et nemo laboraret, si se ambo juvarent. *Serm. 367.*

Dives propter pauperem factus est, et pauper propter divitem. Pauperis est orare, et divitis erogare. *Ibidem.*
Vide, ne plus tibi praestem accipiendo, quam tu mihi dando. Si enim non esset, qui à te acciperet, non erogares terram, et non acciperes coelum. *Serm. 389.*

Utilius enim terrena opulentia tenetur humiliter, quam superbè relinquuntur. *Ad Paul. et Theraf. Epist. 31.*

Quidquid amaveris, aut hoc est quod tu, aut inferius te est, aut superius te est. Si inferius te est quod amas, ad consolandum ama, ad tratandum ama, ad utendum ama, non ad illigandum. Nolite illigare auro, melior es tu quam aurum. *Serm. 368.*

Non haberes quod Deo dares, nisi prius ab illo acciperes. *Serm. 390.*

Si in divitiis velit homo requiescere, magis superbus efficitur, quam securus. *lib. de chath. rud.*

Dicuntur divites pecuniosi: sed interius egeni, si cupidi. *lib. 7 de C. D. cap. 7.*
Dicimus divites, sapientes, justos, bonos, quibus pecunia parva est, aut nulla; magis sunt virtutibus divites in ipsis corporalium rerum necessitatibus, sat est, quod adest. *lib. 7 de C. D. cap. 7.*

In magna egestate sunt, qui de iniunctitate sunt divites; justitiae opes et sapientiae tesauros non habent.

En. in Psalm. 53 n. 19. Tantum habere appeto, quantum in valetudinis opem conserri potest. *lib. 1 Soliloq. cap. 10.*

Vidimus divitem timoribus anxiū, moeroribus tabascentem, cupiditate flagrantem, numquam securum, semper inquietum, perpetuis inimicarum contentiobus anhelantem, augentem sanè his miseriis patrimonium suum in immensum modum, atque illis augmentis curas quoque amarissimas aggerantem. *lib. 4 de C. D. cap. 3.*

Minus est enim minus egere, quam plus habere.

Regul. ad serv. Dei.

ARTICULUS II.

De Pauperibus et de paupertate.

Quis autem ferat inopem superbum? *Serm. 14.*

Pauper non habet unde infletur, dives cum quo luctetur. *Ibidem.*

Fortè te inopia erudiet, copia corrumpet. *Serm. 21.*

Nativitas pauperis et divitis aequalis est nuditas. Sepulcra inspiciantur, et ossa divitum agnoscantur. *Serm. 289.*

Dicuntur pauperes pecunia carentes, sed interius divites, si sapientes. *lib. 7 de C. D. cap. 128.*

Pauper tranquillus diviti cupido praferendus. *Ibidem.*

Plus enim pauperi videre coelum stellatum, quam diviti tectum inauratum. *En. in Psalm. 127.*

Pauper cupiditatibus divite pejor. *Serm. 14. in Psalm. 9.*

Nihil pauperi prodest, si eget facultate, et ardet cupiditate. *Ibidem.*

Verus pauper in pauperum turba vix invenitur.

Serm. 14 in Psalm. 9 cap. 4.

Paupertas ex se nec beatitudo, nec miseria. Si scire vis quam non sit miseria paupertas, sunt quidam pauperes beati: si scire vis, quam non sit beatitudo paupertas sunt quidam pauperes miseri. *Serm. 50 de verb. Agaei. 2.*

Revera omnia contemnit, qui non solum quantum potuit; sed etiam quantum valuit habere, contemnit.

Ad Paulin. et Theras. cap. 31.

Paupertas voluntaria ad perfectionem Christianam pertinet. Paupertas voluntaria multorum illustrium Romanorum severior quam Christianorum. *lib. 5 de C. D. cap. 18.*

Illorum intentioni merces, quam quaerebant est reddita, et nobis proposita necessariae commonitionis exempla. Si virtutes, quarum istae utcumque sunt similes, quas isti pro civitatis terrenae gloria tenuerunt, pro Dei gloriosissima Civitate non tenuerimus, pudore pungamur, si tenuerimus superbia non extollamur. *lib. 5 de C. D. cap. 19.*

ARTICULUS III.*De Amicitia et de veris Amicis.*

Amicitia rectissime definitur, rerum humanarum et divinarum tum benevolentia et caritate consensio.
lib. 3 cont. Acad. cap. 6.

Amicitia, voluntas erga aliquem rerum bonarum, illius ipsius caussa quem diligit, cum ejus pari voluntate. *lib. de diver. quaest.*

Inde quippe manat vera amicitia, non pensanda temporalibus commodis, sed gratuito amore putanda.

Epist. 155 ad Maced.

Illam legem amicitiae justissimam esse arbitror, qua prescribitur, ut sicut non minus, ita nec plus quisque amicum diligat quam se ipsum. *lib. i Solilo. cap. 3.*

Est quaedam amicitia adhuc carnalis per consuetudinem cohabitandi, et colloquendi. Ista quaedam amicitiae dulcedo est, est ergo amicitia consuetudinis non rationis. *Serm. 385.*

Est alia superior, non consuetudinis sed rationis, qua diligimus hominem propter fidem mutuamque benevolentiam in ista vita mortali. Hac superius quidquid invenerimus divinum est. *Serm. 385.*

Nullius repudianda est amicitia sese ingerentis ad amicitiam copulandam; non ut statim recipiatur, sed ut recipiendus optetur. *lib. de divers. quaest.*

Sunt amici, excepta amicitia, quae nec amicitia dicenda est, quam facit mala conscientia. Ista nefaria amicitia est. *Serm. 385.*

De verris amicis.

In omni autem vita, loco, et tempore amicos aut habeant, aut habere instent. *lib. 2 de Ord. cap. 8.*

Amici quid aliud quam unum esse conantur? Et quantò magis unum, tantò magis amici sunt. *lib. 2 de Ord. cap. 18.*

Ille veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut sit in illo. Propter aliud si

nos diligimus, odiimus potius quam diligimus. *Serm.* 335.

Nihil enim sic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio. *lib. de divers. quaest.*

Illum receptum in amicitiam dicere possumus, cui omnia consilia nostra refundere audeamus. *Ibidem.*

Multi non periclitabantur, antequam majoribus jungerentur: exoptarunt majorum amicitias ut majora pericula incurrerent. *En. in Psalm.* 131.

Multi de amicis potentioribus praesumserunt: ceciderunt illi, et involverunt eos qui de se praesumserunt. *En. in Psalm.* 131.

Permanendum cum amico est, nec mutanda amicitia facultate mutata, sed servanda fides voluntate firmata. *Serm.* 41.

Homo proximus tuus est, vitium inimicum proximo tuo. Tuncamas amicum, si oderis quod nocet amico. *Serm.* 49.

Amicus gratis amandus est. *Serm.* 385.

Nemo potest veraciter amicus esse hominis, nisi fuerit pius primitus veritatis: quod si gratis non fiat, nullo fieri pacto potest. *Ibidem.*

Quid nos consolatur in hac humana societate er-

roribus, aerumnisque plenissima, nisi fides non facta,
et mutua dilectio verorum et bonorum amicorum. lib.
13 de C. D. cap. 7.

De probis et improbis civibus in civili Societate.

ARTICULUS V.

De probis hominibus.

Vir bonus quandiu est in hac vita, utitur amico
ad rependendam gratiam, utitur inimico ad patientiam,
utitur quibus potest ad beneficentiam, utitur omnibus
ad benevolentiam. lib. de ver. Relig. cap. 47.

Homines boni videntur in hac vita praestare non
parva solatia. Nam si paupertas angit, si luctus maesti-
ficat, si dolor corporis inquietat, si contristat exilium,
si ulla alia calamitas vexat, adsint boni homines, qui
non solum gaudere cum gaudentibus, verum etiam fle-
re cum flentibus norunt, et salubriter alloqui et collo-
qui sciunt, plurimum illa aspera laniuntur, relevantur
gravia, et superantur adversa. Epist. 130 ad Probam.

Nemo sibi placeat, nemo alii insultet. Omnes sic velimus proficere, ut non invideamus proficientibus, non insultemus deficientibus. *Serm. 171.*

Cum laudantur boni, non laudatis; sed laudantibus prodest. Nam illis, quantum ad ipsos atinet, quod boni sunt, sufficit. *Epist. 231 ad Darium.*

Qui non vult à se averti faciem Dei; vult averti faciem Dei à peccatis suis. *En. in Psalm. 50.*

Eris rectus, cum in omnibus bonis, quae facis, Deus tibi placet; in omnibus malis, quae pateris, Deus tibi non displicet. *En. in Psalm. 144.*

Cave ne tibi subrepatur in tua virtute confidere, homo es enim, et maledictus omnis qui spem suam ponit in homine. *Epist. 218 ad Palatin.*

Homo qui prosperis rebus proficit, asperis quid profecerit discit. Hoc enim sine amore nostro aderat, quod sine dolore discedit. *lib. de vera. Relig. cap. 47.*

Melior est homo qui voluntate bonus est, quam qui necessitate bonus est. *lib. quaest.*

Nec quidquid justo licet, potest et injustus implere; quia justus implet legem per dilectionem unde justus alienus est. *lib. 3 cont. Crescon. cap. 4.*

Justo nihil placet iniquum, ubilibet eum versari quaelibet necessitas cogat, misceri iniquitatibus non potest. *lib. 2 cont. Epist. Parmen. cap. 21.*
Sunt in terra justi, sunt magni, fortes, prudentes, continentes, patientes, pii, misericordes, temporalia omnia propter justitiam aequo animo tolerantes. lib. 12 de peccat. merit. cap. 13.

Bonus si serviat, liber est: malus autem etiam si regnet, servus est; nec unius hominis, sed quod est gravius tot dominorum quot vitiorum. *lib. 14 de C. D. cap. 1.*

Justus quando videt poenam peccatoris, proficit ipse; et mors alterius valet ad vitam alterius. *En. in Psalm. 18.*

Nullus autem perfectus aliquo eget, et quod videatur corpori necessarium sumet, si adfuerit; si non adfuerit non eum istarum rerum frangit inopia. *lib. de beat. vit. cap. 3.*

Fit enim homo Deo similis quantum datum est, dum illustrandum illi atque illuminandum se subjicit. *lib. 1 de morib. Eccles. cap. 3.*

Ille verissimè atque certissimè invictus homo est,

qui cohaeret Deo , non ut ab eo aliquid boni extra mereatur , sed cui nihil aliud quam ipsum haerere Deo bonum est. *lib. de ver. Relig. cap. 47.*

lib. Totum mundum dimittit , qui et illud quod habet , et quod optat habere , dimittit. *Epist. 157 ad Hilarium.*

des. Omissis improbitas ex imbecillitate animi venit ; quia nihil innocentior est eo , qui in virtute perfectus est. *lib. i de serm. D. in mont. secund. Math. cap. 3.*

des. Non nos tam delectant voces laudantium , quam devotio confitentium , et facta rectorum. *En. in Psalm. 66.*

Se ipsum nosse , quemadmodum homo sibi innotescere , non omnium hominum est. *En. in Psalm.*

118 Serm. 7.

-ipsa Vis videri justus ? Cito fac quod melius est , et faciliter eris quod vis videri. Esto justus. Ita diliges cui in videbas , et amabis in eoste , et ipsum in te. *En. in Psalm. 124.*

bou Juste vivere in hac vita , quid aliud est , nisi audire legis praecepta et facere. *Serm. 278.*

-il so Qui erubescit petere , ut sibi frater ignoscat , vincat per bonum timorem malum pudorem. *Serm. 209.*

ARTICULUS VI.

De malis hominibus.

Duobus modis nocet homo, quantum in ipso est,
aut faciendo miserum, aut deserendo miserum. *En. in Psalm. 100.*

Mali autem et facinerosi proficiunt in pejus: et
apposita est iniquitas super iniquitatem ipsorum. *En. in Psalm. 68 Serm. 2.*

Felicitas peccatorum fovea ipsorum est. *En. in Psalm. 93.*

Nesciens quid sibi cras accidere, et despicit lacri-
mas miserorum, non est innocens. *En. in Psalm. 100.*

Perniciosum est consilium hominis ipsi homini, quo
ea quaerit quae sua sunt, non quae Dei sunt. *Ibidem.*

Hoc enim proclivius homo suspicatur in alio, quod
sentit in se ipso. *En. in Psalm. 118 Serm. 11.*

Unus justus, alter iniquus, etiam si una catena li-
gentur multum à se separati sunt. *En. in Psalm. 94.*

Quisquis enim quod se ipso est deterius sequitur,

fit et ipse deterior. *lib. i de mor. Eccles. cap. 3.*

8. Qui trucidat, non considerat quemadmodum la-
niet: qui autem curat, considerat quemadmodum sebet:
ille persequitur sanitatem, ille putredinem. *Epist. ad
Vincent. Rogatist. 93.*

Sed planè semper, et mali persecuti sunt bonos, et
boni persecuti sunt malos. Illi nocendo per injustitiam,
illi consulendo per disciplinam: illi immaniter, illi tem-
peranter: illi servientes cupiditati, illi caritati. *Epist.
93 ad Vincent. Rogatist.*

Hinc ergo discernuntur homines. Nemo attendat
linguas, sed facta et cor. Si non benefacit pro fratri-
bus suis, ostendit quid in se habeat. *Tract. 6 in Epist.
Joann. cap. 3.*

Maligni homines et seductores proficient in pejus,
ipsi errantes, et alios in errorem mittentes. *En. in
Psalm. 55.*

Qui malè vivunt, non Deum laudant; sed et si
praedicant lingua blasphemant vitam. *En. in Psalm. 47.*

Injusti exultant in soeculo, finito soeculo, finitur
exultatio injustorum. *En. in Psalm. 22.*

Inter haereticos et malos catholicos hoc interet,

quod heretici falsa credunt, illi autem vera credentes non vivunt, ita ut credunt. *lib. quaest. b. 7 quaest. 8.*

**Bonum quaeris et malum facis? In contrarium car-
ris, quando pervenis?** *Serm. 150.*

Nocent infirmioribus fortiores; nam nullus alterum superat, nisi quo est potentior; sed tamen ipsi infirmiores sunt principes iniqui in presenti. *Cont. Se-
cund. Manich. cap. 110.*

Dicuntur inimici Dei, qui non natura, sed vitiis adversantur ejus imperio. *lib. 22 de C. D.
cap. 1.*

Qui ergo fit nimis justus, ipso nimis fit injustus.
Ex tract. 95 in Joann. Evang. n. 12.

Mali viventes etsi lingua taceant, vita Domino maledicunt. *En. in Psalm. 103.*

ARTICULUS VII.

De vita hominum super terram.

Praesens vita fragilis est, et in mortem proclivis. Nemo potest stare, sed omnes cogimur transire. Nolen-

tes imus, inviti eximus, quia mali sumus. *Serm.* 368.

Dificile est vitam istam ducere sine peccatis, cui libet hominum. *Serm.* 390.

Videte, si non est confusio tota vita humana. Quidquid homines agunt, quando cognoverint erubescunt. *En. in Psalm.* 125.

Confusio est ista tota vita rerum humanarum non pertinens ad Deum. In ista Babylonia captiva tenetur Sion. *En. in Psalm.* 125.

Longa vita nihil aliud est quam longa infirmitas. *Serm.* 80.

Tanta est hujus vitae molestia, ut quaelibet magna res veniat in fastidium. *Serm.* 243.

Sit hoc scriptum in cordibus: meliorem esse hominem minus intelligentem, et melius viventem, quam multum intelligentem et non bene viventem; melius est bene vivere, quam citò intelligere. *Serm.* 1252.

In hac vita homines magnis laboribus requiem quaerunt, et securitatem, sed pravis cogitationibus non inveniunt. Volunt requiescere in rebus inquietis non permanentibus. *De cathechi rudibus.*

Plus mors metuitur quam labores: laborant quip-

pe omnes homines ne moriantur. lib. 6 oper. imperf.
cont. Julian. 27.

Nec est alia vita hominum vitiosa atque culpabilis, quam male utens et male fruens. *De Trinit.*

lib. 110. Stultis utilius et salubrius esse praeceptis obtenerare sapientum, quam suo iudicio vitam degere. *lib.*

de utilit. cred. cap. 12. Nec ulla quippe major et peior mors, quam ubi non moritur mors. *lib. 6 de C. D. cap. 11.*

Non omnis vita, sed sapiens vita virtus est. *lib. 19 de C. D. cap. 3.*

Quantumcumque quisque delectatur superiore vita sua, tantum deponit de terréna sarcina sua. *lib. de utilit. jejun.*

Cogita homo quos relinquat, et qui haec omnia relinquunt, non cogitat? Tota cogitatio tua in eo consumitur qua peregrini post te transéant, non quo transeuntes pervéniant. *Serm. 361.*

Vita si diligitur, ibi adquiratur ubi nulla morte finitur. *Ad Armen. et Paul. Epist. 127.*

Iter hujus soeculi molestum est, plerumque tenta-

tionibus plenū. In rebus prosperis ne extollat, in rebus aduersis ne frangat. *Tract. in Joann. Evang. cap. 13.*

Tunc enim benè vivam quando nihil potero timere ne moriar. *En. in Psalm. 118 Serm. 19.*

Gradus in via restant; non debemus pigri remanere, non debemus superbè cadere. *En. in Psalm. 121.*

In vita vestra inveniantur verba vestra, in factis vestris cognoscantur labia vestra. *En. in Psalm. 58.*

Cujus vita pér omnia congruit veritati, is est profectò vel solus, vel certè maximè qui benè atque honeste vivit. *lib. de quant. anim. cap. 16.*

Quid sis hodie, scis, quid sis crastino nescis. Quocumque te verteris incertà omnia: sola mors certa. *En. in Psalm. 39.*

ARTICULUS VIII.

De poenis et suppliciis, et de eorum rationibus et utilitatibus.

Omnis poena si justa est, peccati poena est, et supplicium nominatur; si autem injusta est poena, quo-

nam poenam esse nemo ambigit, iusto aliquo dominante homini imposta est. lib. 3 de lib. arb. 18. id est

Non inutiliter etiam metu legum humanarum coeretur audacia, ut et tutus sit inter improbos innocentia, et in ipsis improbis, dum formidatio supplicio frumentatur facultas invocato Deo sanetur voluntas. Ep. 153 ad Maced.

Nec inulta omnia relinquenda, nec uno modo omnia vindicanda. Ad Felicit. et Rust. Epist. 210.

Non frustra instituta sunt gladii cognitoris, unguiae carnificis, arma militis, disciplina dominantis, severitas etiam boni Patris. Habent ista omnia modos suos, causas, rationes, utilitates. Haec cum timentur, et coercentur mali, et quietius inter malos vivunt boni. Epist. 153 ad Maced.

Supplicia terreant, quem premia non invitant. En. in Psalm. 49.

Peccata, quae vindicantur longissimi temporis poenis, brevissime tempore perpetrantur. lib. 21 de C. D. cap. 11.

Octo genera poenarum in legibus screbit Tullius: damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam exi-

ium, mortem et servitutem. Quid horum est quod in breve tempus pro cuius peccati celeritate coartetur, ut tanta vindicetur morula, quantâ deprehenditur perpetratum? *lib. 21 de C. D. cap. 11.*

Propterea poenalis poena adhibetur, ut peccati dedecus emmendet poena peccati. *De lib. arbit. lib. 3.*

Non enim quisquam de vitiis naturalibus, sed de voluntariis poenas luit. *lib. 21 de C. D. cap. 3.*

Malus qui merito patitur iniquitatis, non deparet saevitiae potestatis. *Cont. Epist. Parmen. lib. 1.*

Noli ergo atrocius vindicare, quod invenisti. Inquirendi quam puniendi necessitas major est. *Ad Marcellin. Epist. 133.*

Plerumque necesse est, exerceatur acrius inquisitio, ut manifesto scelere sit ubi appareat mansuetudo.

Ibidem.

Adhibeantur poenae, sed animo amantis, animo diligentis, animo corrigentis. *Serm. 13.*

Quisquis autem poenas non vult luere pro peccatis, inimicus est aequitati. *lib. 8 de Genes. ad litt. cap. 26.*

Quid enim quisque maleficus, latro, adulter,

Ieratus sacrilegus pertulit legibus, quod non pertulit
Martir in confesione Christi? *En. in Psalm.* 112.

Non eris inglorius ignoscendo, quia de ira victa
laudabilius triunfatur. *Ibidem.*

Quidquid hic passus fuerit homo, si corrigatur,
emmendatio est; si nec sic corrigatur, duplex damna-
tio est. Hic luit poenas temporales, et ibi experietur
aeternas. *Serm. de excidio.*

Quando timore poenae, non amore justitiae fit bo-
num, nondum benefit bonum, nec fit in corde quod sie-
ri videtur in opere. Quando mallet homo non facere, si
posset impunè. *lib. 2 cont. duas Epist. Pelag. cap. 9.*

Quid est melius videre phreneticum, an plorare
sanum? Eligit homo fletum cum sanitate, quam ri-
sum cùm amentia. *Serm. 175.*

Punitur peccatum, aut ab homine poenitente, aut
a Deo judicante. *Serm. 19.*

Nihil aliud agit, quem veraciter poenitet, nisi ut
id quod mali fecerit, impunitum non sinat. Eo quip-
pe modo sibi non parcenti ille parcit, cuius altum, jus-
tumque judicium, nullus contemtor evasit. *Ad Maced.*
Epist. 153.

Servis Dei quidem merces falsis detractionibus crescit; sed crescit etiam poena detrahentibus. *Serm. 356.*
Absit enim à corde Christiano, ut libidine ulciscendi ad poenam cuiusque rapiatur. Absit ut dimittendo caique peccatum, aut non praeveniat preces rogantis, aut certe continuo subsequatur. *Ad Nectar.*

Epist. 104.

Quoniam cecitati cordis debet resistere scientia; et libidini continentia, eam vero poenam, quae nec error est, nec libido, debet tolerare patientia. *lib. 5 cont. Julian. Pelag. cap. 3.*

Poena non nocet, si bona est causa. Sit nobis electa caussa, ne nobis noceat poena. Mala caussa nullum habet premium, sed justum tormentum. *Serm. 306.*

Elige caussam, et non cures poenam. Si autem non eligis caussam, et hic et in futuro invenies poenam. *Serm. 326.*

ARTICULUS ix.

De correctione non negligenda.

Dilectione servata non sine spe correctionis vindicta

candum est, quidquid etiam cogit necessaria severitas vindicari. *lib. 3 cont. Epist. Parmen.* *cap. 1.*

Cujuscumque hominis pravitas, quanto periculosis et tortuosior cst, tanto instantius et operosius corrigenda est. *lib. 4 de Baptism. contra Donat.* *cap. 16.*

Correctio non negligenda cum fieri potest vel consilio vel auctoritate vel potestate. *De serm. D. in mont. secund. Math. lib. 2.*

Debemus amando fratrem corripere; non nocendi aviditate, sed studio corrigendi. *Serm. 82.*

Melius homo corrigitur pravus, quam frangitur durus. *De octo Dulcitii quaest.*

Quidquid hic passus fuerit homo, si corrigatur, emendatio est; si nec sic corrigatur, duplex damnatio est. Hic luit poenas temporales, et ibi experietur aeternas. *Serm. de excidio.*

Pertinet ergo ad innocentis officium, non solùm nemini malum inferre, verum etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum, ut aut ipse qui plectitur, corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo. *lib. 19 de C. D. 16.*

Utrumque enim faciendum est, sicut infirmitatis diversitas admonet eorum, quos utique non perdendos, sed corrigendos curandosque suscepimus. *lib. de fide et operibus cap. 3.*

De malitia vis vincere malitiam? Erunt duee malitiae. *Serm. 302.*

Sicut constantia non sinit hominem depravari, sic pertinacia non sinit corrigi. *Ad Parm. Epist. 58.*

Utiliores esse plerumque inimicos jurgantes, quam amicos objugare metuentes. Illi enim dum rixantur, dicunt aliquando vera quā corrigamur: isti autem minorēm, qnam oportet exhibent iutiae libertatem, dum amicitiae timent exasperare dulcedinem. *Ad Hieronim. Epist. 73.*

Multò est tamen mirabilius et laudabilius, libenter accipere corrigentem, quam audacter corrigerē deviantem. *Ad Hieronim. Epist. 82.*

Si autem ille qui corrigit, reddere vult malum pro malo ei, qui corripienti indignatur, non fuit dignus qui corriperet, sed dignus planè, qui etiam corripi debere. *Ad Sanctimonial. Epist. 211.*

Rarò ergo in magna necessitate objurgationes ad-

hibendae sunt, ita tamen ut etiam in his ipsis non nobis, sed Deo ut serviatur instemus. *lib. 2 de serm. D. in mont. cap. 19.*

Facilius est videre quid in alio corrigas, atque id vituperando vel objurgando corrigere, quam videre quid in te corrigendum sit, libenterque corrigi. *In epistolam ad Galat. cap. 2.*

Corrige te et invenies rectum a quo te depravasti. *En. in Psalm. 100.*

Laus flagellantis medicina est vulneris. *En. in Psalm. 144.* Vindicta ultima justè poscitur, quando nullus jam restat correctionis locus, externo scilicet summo que judicio. *Epist. ad Marcell. 138.*

Si autem cogitantes nos met ipsos inveniremus in eo esse vitio, in quo est ille quem reprehendere parabimus, non reprehendamus, neque objurgemus, sed tantum con gemiscamus, et non illum ad obtemperandum nobis, sed pariter conandum imitemus. *lib. 2 de serm. D. in mont. cap. 2.*

ARTICULUS X.***De honoribus soeculi.***

Aliquando injusti perveniant ad honores soeculi: cum pervenerint et facti fuerint vel judices vel reges, quia hoc facit Deus propter disciplinam plebis suae, non potest fieri nisi ut exhibeat illis honor debitus potestati. *En. in Psalm. 125.*

Sic Deus ordinavit Ecclesiam suam, ut omnis potestas ordinata in soeculo habeat honorem, aliquando in melioribus. *En. in Psalm. 125.*

Quae hic honorant, ibi onerant, quae hic relevant, ibi gravant. *Ad Maximum. cap. 23.*

Honor si diligitur illic habeatur, ubi nemo indignus honoratur. *Ad Almen. et Paul. cap. 124.*

Non sic pro magno haberi debet honor humanus, quia nullius est ponderis sumus. *lib. 5 de C. D. cap. 17.*

Delectat honoris fulgor, delectat potentiae terror, delectant ista. Honor te debet quaerere, non tu ipsum. *Sermon. 39 de verb. Ecclesiast. 5 = 8.*

Qui amat honorem Deum imitatur. Sed humiles animae in illo se honorari volunt, superbi pre illo.

Cont. Secund. Manich.

Placet ne ut optent sibi ac suis honores, et potestates? Sanè, si ut per hoc consulant eis qui vivunt sub eis, non propter haec ipsa, sed propter aliud, quod inde fit bonum; decet ea velle: si autem propter inanem fastum elationis pompamque superfluam, vel etiam noxiā veritatis, non decet. *Epist. ad Probam.* 130.

Ista quae pro tempore propter Ecclesiae utilitatem honori nostro exhibentur, defendentur bona conscientia, defendere autem non poterunt malam. *Ad Maximin. Epist. 23.*

Honor non debetur errori, sed errantis bonis do-tibus debetur. *Ad Proulclianum. Epist. 33.*

Nulla major est in Christi Ecclesia probatio caritatis, quam cum honor ipse, qui apud homines videtur esse, contemnitur, ne membra parvuli dividantur, ut unitas dissidio Christiana dilanietur infirmitas. *Serm. de Elia et vidua Sarapta.*

Honorum continuandorum facultas non esset, nisi ambitio praevaleret. Minimè praevaleret ambitio, nisi

in populo avaritia, luxuriaque corrupto. lib. 3 de C.

D. cap. 31.

ARTICULUS XI.

De beneficentia servanda in peregrinos, et afflictos.

Minus est quod patitur unum membrum, si compatuntur alia membra. *Ad Donat. Procons. Epist. 99.*

Tu contemnis egentem tui, Deus non te contemnet egentem sui? Impleto tu egentis inopiam, et impletat Deus interiora tua. *En. in Psalm. 37.*

Noli contemnere modò manum pauperis: et responde manus inanes, si vis habere manus plenas. *En. in Psalm. 75.*

Esto misericors. Si de tuo dares, largitio esset; cum de illius das, redditio est. *En. in Psalm. 96.*

Qui in se ipsum crudelis est, esse in alium misericors potest? *En. in Psalm. 100.*

Supplicem nullum spernas, et cui dare non potes quod petierit, non eum spernas, affabilem te praesta. *En. in Psalm. 102.*

Ille qui aliquid porrigit pauperi, non se arbitre-

tur de suo facere, ne forte non tam confirmetur misericordiae nomine, quam infletur superbiae vanitate.

Serm. 50.

Nec ipsa poenitentia videtur aliquid profutura, si ab operibus misericordiae sterilis fuerit. *Serm. 61.*

Da quidem et homini, et noli te avertere ab eo, qui mutuum petit. *Serm. 240.*

Magnae opes sunt Christianorum, necessitates egenitum. *Serm. 302.*

Hospitalitatem sectamini. Adtende quid habes in coenaculo domus tuae. Adtende et sursum, quid reponas, quid tibi serves, de quo thesauro solo securus est. *Serm. 358.*

Corripiendi sunt inquieti, pusillanimes consolandi, infirmi suscipiendi, contradicentes redarguendi, insidiantes cavendi, imperiti docendi, dessidiosi excitandi, contentiosi cohibendi, superbientes reprimendi, litigantes pacandi, inopes adjuvandi, oppressis liberandi, boni approbandi, mali tolerandi, omnes amandi. *Serm. 340.*

Faciat homo pro temporali hominum salute quod potest: cum autem ad hunc articulum ventum fuerit,

ut tali saluti consulere nisi peccando non possit, jam se existimet non habere quid faciat, quando id reliquum esse perpexerit, quod non rectè faciat. *lib. cont. mendac. ad Consent.*

Convenienter dixi, ut steriles in elemosynis non sint, quibus tantum tribuit scriptura divina. Enchirid. de fide &c.

Qui enim vult ordinate dare elemosynam, à se ipso debet incipere, et eam sibi primum dare. Elemosyna opus misericordiae verissimè dictum est. Miserere animae tuae. Ibidem.

Elemosynae illis prosunt, qui vitam mutaverunt. Serm. 40.

Facite elemosynam, facite et non perdetis. Non solum non perditis quod facitis pauperibus: sed plañe dico vobis, hoc solum non perditis, caetera perdistis. *Serm. 878.*

Adtende ad te ipsum qui sis ad pauperem: te ipsum, non quod habes. Quid enim despicias fratrem? In visceribus matrum vestrarum ambo nudi fuistis. *En. in Psalm. 72.* Non solum qui dat esurienti cibum, sitienti po-

tum, nudo vestitum, peregrinanti hospitium &c. verùm etiam qui dat veniam peccanti elemosynam dat; et qui emmendat verbere in quem potestas datur vel coercet aliqua disciplina. *Enchirid. de fide &c.*

Cum ergo ad vindictam necessitas cogit, humilitas debet impetrare misericordiam, quam reperit superbia saevientium. *lib. 3 cont. Epist. Parman. cap. 1.*

De orphanis et viduis, id est, spei soecularis societate destitutis, Dominus sibi templum fabricat. *En. in Psalm. 67.*

Qui premit civem suum, quomodo habet suscipe-re peregrinum. *Serm. 109.*

ARTICULUS XII.

De rebus prosperis, deque falsa et mundana felicitate.

Si felicitate tibi iste mundus arrideat, in pressu-ra te computa. *En. in Psalm. 83.*

Nolite seduci felicitate iniquorum, noli te adten-dere florem foeni. Nec ista beatitudo, quae modo fo-

ris videtur, vera est; nec in corde beati sunt, quia tormentur mala conscientia. *En. in Psalm. 91.*

boup Nemo gratuletur homini, qui prosperatur in via sua, cuius peccati deest ultor, et adest adulator. *En. in Psalm. 9.*

Prosperi quidquid dat Deus nunc, non est gaudium beatorum, sed consolatio miserorum. *En. in Psalm. 147.*

Si recordando Sion fles; et quando tibi secundum Babyloniam bene est, opportet ut fleas. *En. in Psalm. 136.*

Ham Qui gaudent lucris et flent damnis, utrumque de Babylonia est. *En. in Psalm. 136.*

Verba currunt, ex ore volant, sic actus nostri, sic honores nostri, sic miseria nostra, sic ista felicitas nostra. *Serm. 301.*

Adversus felicitatem acrius vigilandum est. *En in Psalm. 50.*

Nulla infelicitas frangit, quem felicitas nulla corruptit. *En. in Psalm. 83.*

Magnae virtutis est cum felicitate luctari, ne illiciat, ne corrumpat, ne ipsa subvertat felicitas. *Serm. 16.*

Multi res adversas timent, res prosperas non timent. Periculosior est res prospera animo quam adversa corpori. Prius corrumpit prospera, ut inveniat, quod frangat adversitas. *En. in Psalm. 50.*

Duplicem mundus aciem producit. Blanditur ut decipiat, terret ut frangat. *Serm. 276.*

Blanditur mundus pollicendo honores, divitias, voluptates: minatur intentando dolores, egestates, humilitates. *Serm. 335.*

Soeculi laetitia est impunita nequitia. Luxurient homines, fornicentur, in spectaculis nugentur, ebriositate ingurgitentur, turpitudine faudentur, nihil mali patientur: videte soeculi gaudium. Ista mala quae commemoravi, non castiget fames, non belli timor, non aliquis morbus, non aliquae adversitates; sed sint omnia in verum abundantia, in pace carnis, in securitate malae mentis: videte soeculi gaudium. *Serm. 171 de verb. Apost. Philip. 4.*

ARTICULUS XIII.

Quis miser verè dicatur? Quae sit vera miseria?

Omnis homo quando nascitur à miseria inchoat.

Serm. 188.

Tanto miserior esse convincitur, quanto facilius mala ejus voluntas impletur. *Epist. ad Proban. 130.*

Omnis qui quod vult non habet, miser est. *lib. de beat. vit. disp. 1.*

Miser est animus vinctus amicitia rerum mortalium; et dilaniatur, cum eas amittit, tunc sentit miseriam quam miser est et antequam amittat eas. *lib. 4 Conf. cap. 6.*

Nec tam miserum est non adipisci quod velis, quam adipisci velle, quod non oporteat. *lib. de beat. vit. disp. 1.*

Velle enim quod non oporteat, id ipsum miserrimum. *lib. de beat. vit. disp. 1.*

Si bona velit et habeat, beatus est, si autem mala velit, quamvis habeat, miser est. *Ibidem.*

Quid tam opus habens misericordia, quam miser?

Et quid tam indignum misericordia, quam superbus miser? lib. 3 de lib. arb. cap. 10.

Multi enim magis miseri sunt, magis amando quod amant, quam carendo. Amando res noxias miseri, habendo sunt miseriiores. En. in Psalm. 2.

Malitia individualis comes miseris; nec miser sit homo malus est, et ideo miserior est, quia malus est.

En. in Psalm. 3.

Servo quam citò miseretur, qui aliquando servit: Quantamvis duritiam cordis humani solvit similitudo miseriae. Serm. 259.

Non est finis miseriae, quandiu officiorum nostrorum quis in re instabili collocatur. *Ad Dioscor. Epist.*

118. Ad Cor. cap. 11.

Vitiis alienis tribulari non implicari; moerere non haerere: dolore contrahi non amore adtrahi pia est tristitia, et dici potest beata miseria. *Ad Sebast. Episc.*

Epist. 248.

Casus misserimus, dum animus humanus in suis iniquitatibus quasi prosperatur, et parcisibi putat; cum execetur, et servetur tal ultimam vindictam. *En. in Psalm. 9.*

Misero enim praebenda est misericordia. Non enim opus est misericordia sursum, ubi nullus est miser. *En. in Psalm. 56.*

Miseria hominum à primis fletibus nascentium, usque ad extremos habitus morientium. *lib. i oper. imperf. cont. Julian.*

Ipsa, quae in rebus humanis vocatur felicitas, plus est timenda quam miseria: quandoquidem miseria plerumque affert ex tribulatione opus bonumque fructum; felicitas corruptit animam perversa securitate, et dat locum diabolo tentatori. *En. in Psalm. 68 Serm. i.*

Sic se habet miseria nostrae conditionis, et Dei miserationis, ut tempus maestitiae, tempus laetitiae praecedat. Tempus maestitiae, laboris, miseriae peccata nostra nobis pepererunt: tempus vero laetitiae, quietis, felicitatis non venit de meritis nostris. *Serm. 254.*

CAPUT V.

Beatus quis esse queat? Quae et qualis sit vera hominum beatitudo?

ARTICULUS I.

Beatus quis esse queat?

Propinquat enim Beato, qui benè vult, quaecumque vult. *lib. 4 de Trinit.*

Omnes quidem beatitudinem concupiscunt, sed quoniam modo ad eam perveniantur, plurimi nesciunt. *En. in Psalm. 118.*

Sive malè viventes, sive benè viventes, beati esse volunt. Et non contingit omnibus, quod omnes esse volunt. *En. in Psalm. 32.*

Ille beatus est qui omnia quae vult, habet; neque aliud vult, quod non deceat. *Ad Prob. Epist. 130.*

Beatus igitur non est, nisi qui et habet omnia quae vult, et nihil malè vult. *lib. 13 de Trinit.*

Beatus est qui amat te, et amicum in te, et inimicum propter te. *lib. 4 Conf. cap. 9.*

Beatus antem, quantum existimo, neque ille dici potest, qui non habet quod amat qualemcumque sit; neque qui nou amat, quod habet etiam si optimum sit. Qui appetit qnod adipisci non potest, cruciatur; et qui adeptus est quod appetendum non est, fallitur. *lib. 1 de morib. Eccl. cap. 3.*

Quis enim usquam vel potest, vel potuit, vel poterit inveniri, qui nolit esse beatus? *En. in Psalm.*

118. Non tibi videantur felices, qui florent ad tempus. *En. in Psalm. 70.*

Voluntatem qua beati esse volumus, et miseri esse nolumus, nec miseri possunt amittere, nec beati. *lib. 6 oper. imperf. cont. Julian. 26.*

Nullum autem animal, quod scientia caret, beatum esse potest. *De divers. quaest.*

Nolite attendere ad tempus beatos, et in aeternum miseros. *En. in Psalm. 105.*

Illi qui in ista vita fines bonorum et malorum esse cputaverunt, sive in animo, sive in corpore, sive in utro-

que ponentes summum bonum; hic beati esse, et à se ipsis beati fieri mira vanitate voluerunt. *lib. 19 de C. D.*

cap. 4.

ARTICULUS II.

Quae et qualis sit vera hominum Beatitudo?

Antequam beati simus mentibus nostris impressa est notio beatitatis; per hanc enim scimus, fiderenterque et sine ulla dubitatione discimus beatos nos esse velle. *lib. 2 de lib. arb.*

Deus, qui est mentium vera opulentia, verè feli- cies facit. *lib. 5 de C. D. cap. 18.*

Non est vera vita, nisi ubi feliciter vivitur, nec vera incorruptio, nisi ubi nullo salus dolore corrumpitur. *Enchirid. de fide &c.*

Beata vita, omnium est communis possessio : sed quā veniatur ad eam, qua tendatur, quo itinere per- veniatur, inde controversia est. *Serm. 106.*

Nec felicitas soeculi nos facit beatos, nec adver- sitas miseros *En. in Psalm. 138.* Homo quia vivit, et mori non vult ; amat vitam

aeternam, vult semper vivere numquam mori. Non ergo magnum est diu vivere, aut semper vivere, sed magnum est beatè vivere. *Serm. 127.*

Debuerunt cogitare tanta erga se opera Dei non esse inania, sed vocare ad aliquam sine fine felicitatem. En. in Psalm. 105.

Si Deus est beatitudo nostra, quid erit recessenti nisi miseria. *En. in Psalm. 70.*

Fieri autem non potest, ut res deterior, tè faciat meliorem. *En. in Psalm. 32.*

Una ibi et tota virtus est, amare quod videas, et summa felicitas habere quod amas. Ibi enim beata vita in fonte suo bibitur. *lib. 12 de Genes. ad litt. cap. 12.*

Neque enim facit beatum hominem, nisi qui fecit hominem. *Ad Mace. Epist. 155.*

Beatam vitam quaeritis in regione mortis, non est illic. Quomodo enim beata vita, ubi nec vita? *lib. 4 Conf. cap. 12.*

Ipsa est beata vita gaudere de te, ad te, et propter te, ipsa est, non est altera. *lib. 10 Conf. Epist. 22.*

Haec est superior secundiorque felicitas non ventre gravescere, sed mente grandescere; non lactescere

pectore, sed corde candescere, non visceribus terram,
sed coelum orationibus parturire. *Ad Julian. Epist.*

150.

Sicut non est à carne, sed super carnem, quod
carnem facit vivere, sic non est ab homine, sed super
hominem quod hominem facit beatè vivere. *lib. 19 de C. D. cap. 23.*

Nec parvus est ad beatitudinem accessus, cogni-
tio infelicitatis suae. *lib. 1 de sermon. D. in mont.*
secund. Math. cap. 3.

Nec fabulosa nec civilis Theologia sempiternam
quisquam adipiscitur vitam. Delectationis causa, sicut
dixi, scribunt Poetae, non utilitatis. *lib. 6 de C. D. cap. 6.*

Omnis creatura quae beata esse potest, non ex se
ipsa potest, quia ex nihilo creata est; sed ex illo à quo
creata est. *lib. 12 de C. D. cap. 1.*

Hoc enim adepto beata, quo amissio misera est.
lib. 12 de C. D. cap. 1.

Ad Beatitudinem consequendam non omnia fu-
gienda sunt corpora; sed corruptibilia, molesta, gravia,
moribunda; non qualia fecit primis hominibus bonitas

Dei, sed qualia esse compulit poena peccati. lib. 13 de C. D. cap. 17.

Haec est plena satietas animorum, haec est beata vita pie perfectèque cognoscere à quo induceris in veritatem, qua veritate perfruaris, per quod connecteris summo modo. lib. de beat. vit. disp. 3.

CAPUT. VI.

Dei Bonitas, Misericordia, Justitia et Providentia homines vocant ad aliquam sine fine felicitatem.

ARTICULUS. I.

De Bonitate Dei.

Avarus est Deus salutis nostrae. En. in Psalm. 84.

Spera in eum, ipse faciet rectos cursus tuos, et illinera tua in pace producet. Epist. 218 ad Palatin.

Accedite ad eum et facies vestrae non confundentur. Non erubescet de illa, si, quando te tibi faedium ostenderit, displicet tibi faeditas tua, ut percipias pulcri-

tudinem illius. *Tract. i. in Joann. cap. 1.* p. 18. 18. Q

Alia sunt dona quae Deus dat et inimicis suis, alia quae non servat nisi amicis suis. *En. in Psalm. 66.*

Gaudium, pax nostra, requies nostra, finis omnium molestiarum Deus est. *En. in Psalm. 84.*

Deus vero tam bonus est, ut malis quoque utatur benè, quae Omnipotens esse non sineret, si eis benè uti summa sua bonitate non posset. Potius impotens apparèret, et minus bonus, non valendo benè uti etiam malo. *lib. 5 oper. imperf. cont. Julian. 60.*

Deus qui nusquam deest, frustra pollutis animis praesens est, quem videre mentis caecitas non potest.

De divers. quaest.

Ad peccandum namque non adjuvamur à Deo : iusta autem agere vel justitiae praeceptum omni ex parte implère non possumus, nisi adjuvemur à Deo. *lib. 2 de peccat. ment. cap. 4.*

ARTICULUS II.

De Misericordia Dei.

Ambula in Domino Deo tuo, certus esto : quod te

non vult pati, non patieris: quod te permiserit patio flagellum corrigentis est, non poena damnantis. Ad haereditatem sempiternam erudimur, et flagellari digne-
mūr. *Tract. 7 in Joann. cap. i.*

Misericordia Dicitur
Ferto Patrem erudientem, non sentias judicem pu-
nientem. *Tract. 13 in Joann. Evang. cap. 3.*

Misericordia Dicitur
Magnae misericordiae est, nequitiam impunitam,
non relinquere: et ne cogatur in extremo gehennae
damnare, modo flagello dignatur castigare. *Serm. 171*
de verb. Apost. Philip. 4.

Misericordia Dicitur
Ducat quò vult, non trahatur quò non vult. In tri-
bulationibus, in angustiis, in temptationibus fortis esto, per-
dura: medici manus est, non latronis. *En. in Psalm. 39.*

Misericordia Dicitur
Omnium quidem Deus est: sed eorum Deus propriè
dicitur, qui eum diligunt, qui eum tenent, qui illum
possident, qui illum colunt, sunt tamquam de dono
ipsius magna familia ejus. *En. in Psalm. 39.*

Misericordia Dicitur
A Deo numquam recedamus, patrimonium nostrum
ipse sit, spes nostra ipse sit, salus nostra ipse sit. *En.*
in Psalm. 56.

Misericordia Dicitur
Hi sunt recti corde; qui omnia quaecumque in hac
vita patiuntur, non ea tribuunt insipientiae, sed con-

silio Dei ad medicinam suam. *En. in Psalm. 66.*

Impium te quaesivit, ut redimeret, redemptum seret ut perdat? *En. in Psalm. 66.*

Misericordia Dei ad poenitentiam invitat malos, sicut flagellum Dei ad poenitentiam erudit bonos. Misericordia Dei sovendo amplectitur bonos, sicut severitas Dei puniendo corripit malos. *lib. 1 de C. D. cap. 8.*

Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus hujus vitae, et misericorditer auditur, et misericorditer non auditur. *Ad Donat. Procons. Epist. 99.*

Paratus est Deus dare indulgentiam: ille paratus est dare, noli opponere obicem defensionis; sed aperi simum confessionis. *En. in Psalm. 50.*

Potestatem Dei timete, misericordiam ejus amate. Nec sic de misericordia ejus praesumatis, ut potestatem contemnatis: nec sic potestatem timeatis, ut de misericordia desperetis. *En. in Psalm. 61.*

Ne te credas à misericordia ejus derelinqui, qui tibi aut blanditur dando; ne dejiciat; aut corripit exultantem ne pereas. *En. in Psalm. 144.*

Deus quem diligit corripit, et flagellat omnem filium, quem recipit. *lib. de peccat. merit. cap. 15.*

Grave est quod habeo, sed ad Omnipotentem confugio. De meo tam lethali yulnere desperarem, nisi tantum medicum reperirem. *En. in Psalm. 50.*

ARTICULUS III.

De Justitia Dei.

Non enim injustus Deus, qui justos fraudet mercede iustitiae. *De nat. et grat. cont. Pelag. cap. 18.*

Deus potest sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est. *lib. 3 cont. Julian. Pelag. cap. 18.*

Poenitentia Dei non est post errorem. Ira Dei non habet perturbati animi ardorem. *Cont. advers. leg. &c. lib. 1.*

Noli judicem Deum judicibus hominibus comparare, quem non dubitandum est esse justum, etiam quando facit quod videtur hominibus injustum; *lib. 3 oper. imperf. cont. Jul. 52.*

Leges Dei est balaustrii das non sunt eos, nos

ARTICULUS IV.*De Providentia.*

Universitatis hujus conditio atque administratio, solis impiis damnatisque non placet, nihil enim displicet justo. *lib. de ver. Relig. cap. 22.*

Sedet ille super te, ipse regit te: noli timere ne offendas, et eas in paeceps. *En. in Psalm. 33.*

Si nullum peccatum nunc puniret Divinitas, nulla esset Providentia divina crederetur. *lib. 1 de C. D. cap. 8.*

Valde abstrusa et occulta vis est, qua Deus agit, ut etiam, quae sensu carent, confessim ejus obtemperent voluntati. *En. in Psalm. 105.*

Cujusmodi enim libet excellant ingenio, nisi Deus adsit humili repunt. *lib. de utilit. cred. cap. 11.*

Deus in mensura et numero et pondere disponens omnia, neminem sinit mali aliquid perpeti, quod non mereatur. *lib. 1 oper. imperf. cont. Julian. 84.*

Zelus Dei est providentia, qua non sinit eos, quos

habet subditos, impune amare quod praecipit. Quando enim poenitet non mutatur, et mutat; quando irascitur non movetur, et vindicat: quando miseretur, non dolet, et liberat: quando zelat, non cruciatur, et cruciat. *Cont. advers. leg. et Prophet. lib. 1.*

Magna Reipublicae salus Christiana Religio.

Qui Religionem Christianam adversam dicunt esse reipublicae, dent exercitum talem, quales doctrina Christi esse milites jussit, dent tales Provinciales, tales maritos, tales conjuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales servos, tales Reges, tales judices, tales denique debitorum ipsius fisci redditores et exactores, quales esse praecipit doctrina Christiana, et au-deant dicere adversam esse Reipublicae, immo verò non dubitent eam confiteri magnam, si obtemperetur, salutem esse Reipublicae. *Epist. 138 ad Marcellin.*



spes et sephiles, impune amate non preceperit. Quid quo
eum beneplacito non mutaret, et inutili; datuso nasci-
tut non movebit, et invigicat: datuso miserent, non
jocet et jipet: datuso exeat, non clauderent, et cur-
ciet. Cuius apud nos. leg. et Proph. ill. 1.

Wunder Reibuphische subiit Christiana Religion.

Qui Religionem Christianam approbatum sicculi esse
libuppisse, heut exercitum talem, datuso occidit
Christi esse utilites iussit, heut tales Polyandales, ta-
les misitores, tales conluges, tales bastantes, tales utilis-
tales domines, tales servos, tales Reges, tales principes,
tales heuidae sepulchrum ipsius feci reddidores et exci-
toles, datus esse preceperit doctriis Christianis, et an-
sasystem esse Reibuphische. Pbit. 138 u. Mercurius.

Dous in mensura et numero et pondere dispositi
non sinit nullum perpeti, quod non
mercatur. lib. 1 oper. imperf. cont. Julian. 84.

Zelus Datus proridentis, qua non sinit eos, quos

INDEX

	Pág.
<i>Homo quid?</i>	1,
CAP.... I. De humana mente et de internis Actuum humanorum principiis.	3,
ARTIC.. 1. <i>De mente humana.</i>	ibid.
ARTIC.. 2. <i>De intellectu.</i>	7.
ARTIC.. 3. <i>De naturali lumine rationis.</i>	8.
ARTIC.. 4. <i>De veritate.</i>	9.
CAP.... II. Intellectus humani vitia.	13.
ARTIC.. 1. <i>Ignorantia.</i>	ibid.
ARTIC.. 2. <i>Error.</i>	16.
CAP... III. Tria quae perficiunt et ad rectum usum et finem intellectum per- ducunt.	19.
ARTIC.. 1. <i>Disciplina.</i>	ibid.
ARTIC.. 2. <i>Doctrina.</i>	21.
ARTIC.. 3. <i>Donum Dei.</i>	22.
CAP... IV. De humana voluntate.	25.
ARTIC.. 1. <i>Voluntas quid?</i>	ibid.
ARTIC.. 2. <i>Voluntas libertate gaudet, et fer- tur in bonum, Libertas.</i>	27.

ARTIC..	3. Voluntas fertur in bonum.	30.
ARTIC..	4. De concupiscentia, quae est vitium et languor voluntatis.	31.
ARTIC..	5. De cupiditate quae est vitium im- probæ voluntatis.	34.
CAP.... VI.	<i>De iis, quae ad bonam voluntatem maximè spectant.</i>	38.
ARTIC..	1. Bona vera appetere.	ibid.
ARTIC..	2. Mala fugere.	40.
ARTIC..	3. Rectum rerum ordinem servare.	43.
CAP.... VII.	<i>De Conscientia.</i>	46.
CAP.... VIII.	<i>Hominis officia erga corpus suum.</i>	51.
CAP.... IX.	<i>Homo lege et norma indiget ut rec- tè et beatè vivat.</i>	54.
ARTIC..	1. Quid sit lex naturalis.	ibid.
ARTIC..	2. Quid sit praeceptum.	60.
ARTIC..	3. De lege positiva à Legislatoribus constituta.	61.
CAP.... X.	<i>De actibus humanis, moralibus et liberis.</i>	64.
ARTIC..	1. De actibus humanis.	ibid.
ARTIC..	2. De virtutibus generatim.	67.
ARTIC..	3. De officiis Gentilium Philosopho- rum virtutum imagines praese- fentibus.	70.
ARTIC..	4. De vitiis generatim seu de peccatis.	72.
ARTIC..	5. De malitia hominum in actibus humanis.	77.

LIBER SECUNDUS.

CAP.....	I. De virtutibus et de earum officiis quibus homines efficiuntur coelestis ac terrenae Civitatis optimi Cives, ac de peccatis Caritati oppositis.	79.
ARTIC..	1. De dilectione erga Deum.	ibid.
ARTIC..	2. De dilectione erga proximum.	87.
ARTIC..	3. De dilectione inimicorum.	91.
ARTIC..	4. De invidia.	93.
ARTIC..	5. De ira.	95.
ARTIC..	6. De odio.	97.
ARTIC..	7. De calunnia.	99.
CAP.....	II. De Prudentia, Justitia, Fortitudo et Temperantia, De vitiis oppositis.	101.
ARTIC..	1. De Prudentia.	ibid.
ARTIC..	2. De Justitia.	103.
ARTIC..	3. De Fortitudine.	106.
§. Fortitudinis partes sunt Magnificentia, Fidentia, Perseverantia et Patientia.		110.
ARTIC..	4. De Magnificentia.	ibid.
ARTIC..	5. De Fidentia.	ibid.
ARTIC..	6. De Perseverantia.	111.
ARTIC..	7. De Patientia.	ibid.
ARTIC..	8. De Temperantia.	114.

§.....	<i>Temperantiae partes sunt</i>	
	<i>Continentia, Clementia, Modestia.</i>	115.
CAP....	III. De caeteris virtutibus.	116.
ARTIC..	1. <i>De Humilitate.</i>	ibid.
ARTIC..	2. <i>De Obedientia.</i>	119.
ARTIC..	3. <i>De Castitate sive pudicitia.</i>	120.
ARTIC..	4. <i>De Poenitentia.</i>	122.
ARTIC..	5. <i>De Superbia.</i>	123.
ARTIC..	6. <i>De Avaritia.</i>	129.
ARTIC..	7. <i>De Adulatione.</i>	132.
ARTIC..	8. <i>De Mendacio.</i>	135.
ARTIC..	9. <i>De Hypocrisi.</i>	138.
ARTIC..	10. <i>De bonis et malis moribus.</i>	140.
CAP....	IV. De Religione, et de vero Dei cultu.	142.
ARTIC..	1. <i>Gratiarum actio.</i>	144.

LIBER TERTIUS.

CAP....	I. De statu sociali.	147.
ARTIC..	1. <i>De hominum statu naturali et sociali generatim.</i>	ibid.
ARTIC..	2. <i>De statu Conjugali, seu de Nuptiis.</i>	150.
ARTIC..	3. <i>De viro et Uxore.</i>	151.
ARTIC..	4. <i>De viro erga Uxorem.</i>	153.
ARTIC..	5. <i>De Uxore erga virum.</i>	155.
ARTIC..	6. <i>De Parentibus et liberis, seu de societate Paterna.</i>	157.
ARTIC..	7. <i>De Parentibus erga Filios.</i>	158.

ARTIC..	8.	<i>De servitute Herili, De Dominis et Servis.</i>	163.
ARTIC..	9.	<i>De Dominis.</i>	164.
ARTIC..	10.	<i>De Servis.</i>	166.
ARTIC..	11.	<i>De Civitate et Republica.</i>	167.
ARTIC..	12.	<i>De concordia Civitatis sive Reipublicae.</i>	171.
ARTIC..	13.	<i>De pace domestica.</i>	174.
CAP.....	II.		
ARTIC..	1.	<i>De summo Imperio, sive de supremâ Jurisdictione et Potestate.</i>	178.
ARTIC..	2.	<i>Principis Christiani elegans idea.</i>	182.
ARTIC..	3.	<i>De Magistratibus et de eorum Potestate.</i>	183.
CAP.....	III.	<i>De Ducibus et Militibus belligerantibus, De bello et de bellis civilibus.</i>	188.
ARTIC..	1.	<i>De Militibus belligerantibus.</i>	ibid.
ARTIC..	2.	<i>De bello.</i>	190.
ARTIC..	3.	<i>De bellis civilibus.</i>	192.
CAP.....	IV.		
ARTIC..	1.	<i>De divitibus et divitiis.</i>	194.
ARTIC..	2.	<i>De Pauperibus et paupertate.</i>	201.
ARTIC..	3.	<i>De amicitia et de veris amicis.</i>	203.
ARTIC..	4.	<i>De veris amicis.</i>	204.
ARTIC..	5.	<i>De probis hominibus in civili societate.</i>	206.
ARTIC..	6.	<i>De malis hominibus.</i>	210.

ARTIC..	7. De vita hominum.	212.
ARTIC..	8. De poenis et suppliciis, et de eorum rationibus et utilitatibus.	215.
ARTIC..	9. De correctione non negligenda.	219.
ARTIC..	10. De honoribus soeculi.	223.
ARTIC..	11. De beneficentia servanda in Peregrinos et afflitos.	225.
ARTIC..	12. De rebus prosperis et de mundana felicitate.	228.
ARTIC..	c Quis miser vere dicatur?	
	c Quae sit vera miseria?	231.
CAP....	V. Beatus quis esse queat? Quae sit vera hominum Beatitudo.	234.
ARTIC..	1. c Beatus quis esse queat?	ibid.
ARTIC..	2. c Quae et qualis sit vera hominum beatitudo?	236.
CAP....	VI. Dei Bonitas, Misericordia, Justitia et Providentia homines vocant ad aliquam sine fine felicitatem.	239.
ARTIC..	1. De Bonitate Dei.	ibid.
ARTIC..	2. De Misericordia Dei.	240.
ARTIC..	3. De Justitia Dei.	243.
ARTIC..	4. De Providentia.	244.
	Magna Reipublicae salus Christiana Religio,	245.

ERRATA.

Pag.	Línea.	Errata.	Corrige.
Dedicat.	7.	mothodo.	methodo.
Dedicat.	14.	innumrabilibus	innumerabilibus.
33.	21.	pamec.	pacem.
45.	13.	optimu.	optimus.
47.	5.		,
85.	5.	praeceptione,	praeceptione.
92.	8.	cum	eum.
123.	11.	cueteris	caeteris.
134.	14.	adulantiam . . .	adulantium.
135.	4.	enuntiat	enunciat.
135.	9.	ennutianti	enuncianti.
160.	15.	volumtatem	voluntatem.
164.	9.	eaeperunt	cooperunt.
188.	8.	orvibus	ovibus.
191.	9.	suminis	summis.
197.	19.	delitiarum	deliciarum.
199.	18.	tratandum	tractandum.
200.	16.	inimiciarum	inimicitiarum.
204.	12.	verris	veris.
207.	21.	unde justus	unde injustus.
216.	22.	exiium	exilium.
217.	2.	coartetur	coarctetur.
219.	15.	caussam	causam.